



Quaestio, vtrum corpus Iesu Christi obiiciatur actionibus illis externis coenae Dominicae, in proprio suo subiecto, materia siue substantia absolutè, & per sese in ipsa Christi persona considerata: An vero in Sacramento signo vel symbolo

<https://hdl.handle.net/1874/455652>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E oct.

171


U.B.U.





E oct.

174







Guachrita ut dicit placari.

frigida est et humida. sed satis
in his cibis temperata exercitatur

que calidis regionibus peripue inuen-

nitur. fructu ferens pulcherrimum

ad instar capitum humanorum magnum.

gemina que interius sunt ab his et me-

dianis cooperantur. non tamen crudus. sed eli-

xa contumelie epatis. contra

aperturata spuma pedoris et a-

loz ambrosi ualeat in acutis etrea-

cucurbita. vel etiam assata. sive

alio condimento detur. sed et alii illa-

rum medicamentum. Coquuntur autem

Hec confortandi ex punctulacione a-

romaticitate ad distinctionem cofor-

tanda et dolores stomachi exuen-

to sitate decur semper et in aliis de-

nisi exercitetur cum eo. Pulus quoq;

ui super alios aspissim. alios saprosi-

res facit. **D**e **Campyloza.** **S**u-

bampionsa ut dicit placari

herba est in petris orientis am-

matica multa. Hec herba in fine

uetus colligitur et contigitur et nunc

expinguatur. Iudic quod recalentur eis

refderent et abicitur. Quod punit et liq-

dum remaneat et soli exponitur.

No

915

116

eruditationē decutū
cū eo ad augmētationē lacticis in
muliectibꝫ. et ad augmentum fœna

ut dico platearum in natura

is calore suo. **De centauria.**
centauria ut dicit plate. **yo.**
autem calida et sicca. Et autem
etiam amarissima. unde fel terre
appellatur. Unde hec accredituam
consuetudinem opulationem sple-
nis et epatis ualeat unum devotum
cum ea adducta zuichacea ad unum

Theologia

Octavo n°. 171



N. 10 A.

gec

Ex dono Baesel.

Quæstio,

VTRVM CORPVS
IESV CHRISTI OBIICIATVR
ACTIONIBVS ILLIS EXTERNIS COENÆ
Dominicæ, in proprio suo subiecto, materia siue
substantia absolutè, & per se in ipsa Chri-
sti persona considerata: An vero in
Sacramento signo vel
Symbolo.

TRACTATA A IOHANNE MATTHAEO
Schmalchaldensi, uerbi DEI ministro in gratiam
omnium, qui in hac controuersia Sacra-
mentaria ueritatem querunt.

3. Esdræ 3.

SUPER OMNIA VINCIT VERITAS.

HEYDELBERGAE,
Excudebat Michaël Schirat.
M. D. LXVI.



VATRAM CEBRAZ

luzia chiamai piazzai
e la cattiva e la piazzai
e la piazzai e la piazzai

luzia chiamai piazzai
e la cattiva e la piazzai
e la piazzai e la piazzai
e la piazzai e la piazzai

luzia chiamai piazzai
e la cattiva e la piazzai
e la piazzai e la piazzai
e la piazzai e la piazzai

luzia chiamai piazzai
e la cattiva e la piazzai
e la piazzai e la piazzai
e la piazzai e la piazzai

luzia chiamai piazzai
e la cattiva e la piazzai
e la piazzai e la piazzai
e la piazzai e la piazzai

luzia chiamai piazzai
e la cattiva e la piazzai
e la piazzai e la piazzai
e la piazzai e la piazzai

luzia chiamai piazzai
e la cattiva e la piazzai
e la piazzai e la piazzai
e la piazzai e la piazzai

luzia chiamai piazzai
e la cattiva e la piazzai
e la piazzai e la piazzai
e la piazzai e la piazzai

luzia chiamai piazzai
e la cattiva e la piazzai
e la piazzai e la piazzai
e la piazzai e la piazzai

luzia chiamai piazzai
e la cattiva e la piazzai
e la piazzai e la piazzai
e la piazzai e la piazzai

Auctor pio candi-

doqz Lectori S.

MUlti sunt editi libelli de controversia Sacramentaria, sator, sed in quibus ferè nihil audias, nisi maledicta & calumnias, præcipue apud illos, qui Papistico more meras damnationes & dira Anathemata crepant & fulminant. Totam de Cœna domini controversiam in hoc breui libello ita tractavi, ut sufficeret vnuſ ad aſsequendam in hac cauſaveritatem, Alios minimè reiſcio, sed tamen quilibet ſuum à Deo docendi & dicendi habet donum, quod in communem fidelium viſum conſerre debet. Nullis quareliſ, nullis exclamatiōnibus, aut alijs amplificationum figuris Rethorū more ſum viſus: ſed potius cauſam methodicē trac- tui, ac veritatem conſirmaui argumentis, a definitione genera- li Sacramentorū, à verbis Christi, & à ſimplici intellectu ver- borum ſumptis: & ex uno fonte (cum contrariorum ſit eadem disciplina) veritatem conſirmaui, & mendaciū refutaui, idq; ſine vlla vlliſ hominis leſione. Nam hunc finē ſolum cum hæc ſcriberem mihi proponebam, ut profligato mendacio, ve- ritatandem locum haberet, & Ecclesia Christi pace iam diu optata frueretur, Niſi enim veritas primatum habebit, nulla pax erit ſperanda. Quod reſtat, hoc vnum à te, optimè le- citor, peto: ut in hoc negotio Cœnæ Dominicæ, veritas ver- bi Dei, non auctoritas humana te vincat: aut ne veri- tas propter auctorem proletarium, & (ut dici- tur) capite censum à te vilipendatur vel contemnatur. Bene vale.

* *

*

A ij Semel



Emel atq3 iterum præcepit & commendauit nobis Christus Dominus noster manducationem sui corporis sive carnis sue, & biberionem sui sanguinis, idq; in diuersis terrarū locis, semel in Capernaum, atq; denuo in Hierusalem, cum uidelicet pridiē sue passionis cōmemorātiōnē suā, quam ab ipso Domino, Dominicā uocamus, institueret: ut in ea manducaremus suum corpus, & biberemus sanguinem suum, & hoc faceremus in mortis sue commemorationem. Sermonem quem Christus de eſu & potu carnis sue atq; sanguinis, in Capernaum habuit, diligenter Euangelista Iohannes conscripsit, capite sexto Euangelicæ sue historiæ: & quæ à Domino in illo sermone docetur manducatio, ea sine disputatione & controuersia ab omnibus Ecclesiasticis doctoribus spiritualiter intelligitur: spiritualis & interna uocatur, & omnino necessaria dicitur ad æternam uitam beatitudinemq; consequendam. Cœnam uero dominicam, cum omnibus circumstantijs diligenter describunt Euangelistæ, Mattheus, Marcus, Lucas & Apostolus Paulus. Ibi præcipit nobis Dominus noster, ut panē corpus suum frangamus, distribuamus, & per partes manducemus: similiter, ut uinum sanguinē suum ex calice ad bibendum distribuamus omnibus: & uult, ut hoc faciamus in commemorationem mortis sue, sicut uerba huius institutionis testantur.

De hac manducaſione corporis Christi (que fit in Cœna)

na Dominica, & quæ instituta est, ut celebrantes eam annun-
ciemus mortem Domini) disputatio & controuersia est inter
doctos in toto totius orbis Christianismo. Appellatur etiam à
Doctoribus multis nominibus: dicitur enim sacramentalis, sub-
stantialis, oralis, realis, essentialis, supernaturalis, insensibi-
lis, & nescio quid amplius.

Quid uero de utraq; mandatione spirituali scilicet &
sacramentali sentiendum sit, & Christiano credendum, breui-
ter in hoc tractatu, ex uerbis domini demonstrabo: & dicam
primo loco de spirituali mandatione, quæ fit fide communi-
ter, tam in prædicatione Euangeli, quam in administratione
Sacramentorum: postea de corporali sive sacramentali, quæ
ore corporeo & ab omnibus promiscue, & propriè fit in Cœ-
na Domini,

DE SPIRITUALI MAN- DUCATIONE.

1. PRIMO. Spiritualem carnis Christi mandationem
& sanguinis ipsius bibitionem de qua docetur Iohannis sexto,
omnino necessariam esse ad æternam uitam & salutem conse-
quendam, ex uerbis Christi claret. De ea enim sic loquitur
ipse: Amen dico uobis nisi manduaueritis carnem filij homi-
nis & biberitis sanguinem eius, non habebitis uitam in uobis.
Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem ha-
bet uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

2. DE INDE, quò ad hanc spiritualem manducatio-
nē caro & sanguis non intelliguntur de partibus personæ Chri-
sti, utpote de eius carne & sanguine tantum, sed tota persona

A ij Christi

Christi per carnem & sanguinem tropicè significatur, adeoque omnia ipsius effecta, beneficia, & merita. Quod enim Christus antea affirmauit de carne & sanguine suo, hoc nunc de tota persona sua assertit, dicens, sicut misit me uius Pater, & ego uiuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse uiuit propter me. Et paulò ante interpretatus est Christus Iudeorum Manna, & de sua persona & de sua carne, cum inquit: Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendit, si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita. Et hoc loco diligenter notandum, Christum mentione panis, nihil hic dicere de pane Cœnæ Domini næ, sed seipsum conferre cum Manna, quæ sui fuit figura. Sic igitur colligo, Obiectū spiritualis manducationis hoc est, ipsum cibum esse totam personam Christi per se consideratam, cum omnibus suis effectis, beneficijs & meritis.

3. Postea & hoc certum est, & indubitatum, manducare hoc loco pro credere à Christo accipi, dicit enim, Ego sum panis uitæ, qui uenit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum. Et postea. Amen, Amen dico uobis, qui credit in me habet uitam æternam. Ecce, quod manducationi carnis suæ antea tribuit Christus, hoc nunc de fide affirmat. Est igitur manducare idem quod credere. Obiectum enim fidei est totus Christus cum omnibus suis beneficijs (ut paulò supra est dictum) quem nullo uel morali uel ceremoniali opere, sed tantum fide, per spiritum sanctum in cordibus nostris accensa apprehendimus & nobis applicamus, mediante & exhibente uerbo & sacramentis. Per fidem enim Christo ita incorporantur, ut nos in ipso maneamus & ipse in nobis.

4. Adhæc teneantur rationes, quare fidei manducatio dicatur spiritualis. Vocabula spiritualiter & spiritualis, determinant & definiunt ipsum modum manducandi, & non obiectum, hoc est, cibum qui debet manducari. Nā spiritualis manducationis obiectum siue cibus non tantum est spiritus Christi, aut tantum remissio peccatorum (ut quidam hac nostra ætate scriptis euulgant) sed est tota Christi persona, corpore, anima & diuinitate constans, ut sèpè iam dictum. Vocatur quidem Christus cibus cœlestis, sed ideo, quia de cœlo uenit, & quomodo uenerit inde norunt Orthodoxi. Vocatur & cibus spiritualis, sed ideo quia spirituali modo, hoc est, fide & spiritus manducatur. Christum igitur spiritualiter comedimus, id est, fides & spiritus noster participat non tantum de spiritu Christi, sed etiam de ipsa carne & sanguine Christi, hoc est, obiectum fidei & spiritus nostri, non tantum est Christi spiritus, sed etiam substantia carnis & sanguinis Christi, atq; adeò totus Christus Deus & homo, una cum omnibus suis beneficijs & meritis. In hunc modum & Lutherus, piae memorie, de spirituali manducazione scripsit. Spiritualiter, inquit, manducare & bibere, non est id manducare & bibere, quod spiritus est, & spirituale essentiā habet, sed ideo quod de spiritu est & uult ac debet à nobis spirituali modo participari. Obiectum non est semper spirituale, sed usus debet esse spiritualis. Spirituale igitur nihil aliud est, quam quod per spiritum & fidem in nobis & à nobis agitur, siue obiectum circa quod actio uersatur sit spirituale aut corporale, scilicet in usu & non in subiecto spiritus est. Hec ille. Facile hinc intelligitur, Lutherum uocem spiritualiter, coniunxisse cum actionibus manducatio-

nis & bibitionis, non autem retulisse ad obiecta, circa quæ
 actiones uersantur, quia hæc non semper sunt spiritus. Neq;
 fuit alia sententia Patrum Cyrilli & Hilarij, qui docuerunt
 Christum habitare in nobis, & uniri nobis, non tantum spiri-
 tualiter, id est spiritu suo & charitate, uerum etiam natu-
 rali participatione per carnem uel secundum carnem in nobis
 esse, ita ut nos ex hac communione habeamus uitam æternam,
 & resurrectionē nostrorum corporum. Et quod hæc sit mens
 & sententia Patrum, nempe naturalem, de qua dicunt, par-
 ticipationem non ore sed fide fieri, tribus sequentibus constat
 rationibus. Prima, quia quamuis talem unionem nostri cum
 Christo fieri dicant in ipso usū Cœnæ, tamen expositionem suæ
 sententiae & confirmationem, manifestè sumunt ex uerbis
 Christi, Iohan. 6. Christum uero eo loci de mandatione fi-
 dei locutum esse, ita ab omnibus est acceptum, ut confirmatio-
 ne opus non habeat. Deinde, quia notum est omnibus medio-
 criter tantum in patribus uersatis, quod spirituale mandu-
 cationem fidei, semper coniungant cum sacramentali, procul-
 dubio non alia ratione, quam quod optimè nouerunt, sacra-
 mentalem corporis Christi mandationem solam sine spiri-
 tuali parum, aut nihil ad salutem conferre: & quod Sacramen-
 talis illa & externa, signaculū est internæ & spiritualis man-
 dationis, quæ ambæ ab omni pio & fideli simul fiunt. Po-
 stremo, quia Patres docent effectum naturalis participatio-
 nis esse uitam æternam, uiuificationem & resurrectionem no-
 strorum corporum. Quis autem credat Patres tam rudes fui-
 sc, ut operi externo, mandationi scilicet orali & ceremo-
 niali acceptum ferrent, id quod solummodo fidei debetur?

5. Præterea obseruandum quibus medijs Christus æternae uitæ cibis, fidei exhibetur. Media sunt uerbum & sacramenta. Quotiescumq; igitur & ubiq; Euangelium annuntiatur, Christus uiuificus cibus omnibus credentibus ad æternam salutem exhibetur & offertur. Accedunt deinde sacramenta, Baptismus nimirum, qui est certissima promissionum Euangelicarum obsignatio, & Cœna Domini, mortis Christi memoriale. Per hæc media Spiritus sanctus uult esse efficax, fidem accendere in animis illorum, qui medijs istis utuntur, & uult tales ad uitam æternam regenerare. Sic neq; uerbum prædicatum mane est, neq; Sacra menta sunt uacua, sed quod promittunt, credentibus exhibent, modo adsit per Dei gratiā fidēs, qua exhibita sic dona apprehendat & sibi applicet.

6. Postremo, quamuis spiritualis, & interna fidei manducatio ex bibitio carnis & sanguinis Christi, nullo modo à Domini Cœna excludi debeat, si modo dignè & iuste ea uti uolumus, tamen sciendum est, ipsam non esse propriam Cœnas Dominicæ. Et hoc ita esse firmissimis demonstrationibus confirmabo.

Prima est, Quia non tantum in hac Domini Cœna, sed etiam communiter in Baptismo, & ubiq; Euangelium de Christo prædicatur, Christi caro & sanguis fide spiritualiter manducatur & bibitur. Ergo cum spiritualis fidei manducatio communis sit tam prædicationi & Baptismo quam Cœnas Dominicæ, propria huic uni & soli esse non potest. Secunda, Quia spiritualis fidei manducatio non in Cœna incipit, aut peracta Cœna cessat, sicut sacramentalis illa, sed potius adfertur ad Cœnam, & semper manet cum fide, crescit crescente

A v fide

fide non cessat, nisi cessante fide. Ergo magnum discrimen est, sacramentalis & spiritualis manducationis, & hæc nequaquam est Coenæ tantum. Tertia, Quia manducatio corporis Christi, quæ fit in Cœna, est ceremonia & actio externa, in certum finem à Christo instituta. Fidei uero manducatio talis ceremonia & externa actio non est. Ergo nō est propria Cœnæ. Quarta, Quia obiectum siue cibus spiritualis manducationis est totus Christus cum omnibus suis beneficijs & meritis, sed in Coenatantum corpus Christi pars scilicet personæ cibus est (testante etiam ipso Lutheru) & sanguis Christi potus est sicut patet ex simplici intellectu uerborum corporis & sanguinis. Magnum igitur est discrimen inter has duas manductiones, & manducatio fidei non potest esse propria Cœnæ.

Hæ sunt rationes quæ firmissime demonstrant, spiritualem manducationem non esse propriam Cœnæ. Existimo autem plures alias rationes posse adduci in hanc sententiam, Ego has tantum in medium proposuit, non ea mente ut spiritualem manducationem à Cœna Domini uoca excluderem, uel ut pharaticos dicerem & Schwermeros, qui spiritualem manductionem docent & urgent, ex qua sola omnis nostra salus pendet, sed ut ostenderem, de qua manducaione cum istis sit discriminandum, qui ex manducaione Sacramentali & Essentiali unam eandemq; faciunt, & docent idem esse, corpus Christi in Essentiali & in Sacramento comedere, quasi essentialia alicuius rei & sacramentum eiusdem rei, sit simpliciter unum & idem. Video enim nisi manifeste ex ipsis uerbis, & ex tota causa Cœna huius demonstretur, manducaione corporis Christi Sacramentalem & Essentialiem non esse unam eandemq; conuentio-

nem nullā inter partes fieri posse donec hic mundus durabit. Et
hucusq; de spirituali carnis & sanguinis Christi cibo & potu.

DE SACRAMENTALI MANDVCA-
TIONE ET POTV, CORPORIS
& sanguinis Christi.

1. Primo. Tota actio Cœnæ à Christo instituta est in commemorationem mortis suæ, sicut uerba institutionis testan-
tur. Et meo quidem iudicio non inepte asseritur, Cœnam hanc
successisse in locum esus agni paschalis, qui à Deo per Moisem
institutus fuit, ut quotannis statuto tempore & ritu à Iudeis
manducaretur, in commemorationem transitus Domini, qui
transcendit domos filiorum Israel in Egypto aspersas circum-
fores sanguine agni mactati, cum percuteret primogenita Ae-
gyptiorum tam inter homines quā inter iumenta. Nam Agnus
ille Figura erat Iesu Christi, ueri agni Dei, tollentis suo sangu-
ne in mactatione sui effuso, peccata mundi. Ergo, uero agnus
præsente & figura impleta, figura ueritati cessit, id est, ceremo-
nia hæc Mosaicā unā cum lege tota abrogata est, Porro, agnus
immaculatus, uidelicet, Dominus noster Iesus Christus, nō tan-
tum figurā hanc impleuit morte & paſſione sua, sed insuper cū
uellet mactari, mori & resurgere ceremoniā aliam & quidem
publicā Ecclesiæ suæ in finē usq; seruandā instituit, nempe Cœ-
nam illā à se dominicam uocatā, in hunc finē & usum, ut etiam
populus Noui Testamēti haberet memoriale redēptionis suæ,
quam uerus ille agnus ei acquisiuit sanguinis sui effusione, quo
fideles per fidem aspersi, à peccato, morte & æterna damnati-
tione liberati & seruati sunt. Vnde Dominus ipse dixit: Hoc
facite in mei commemorationem. Et Apostolus similiter in-
quit,

quit, quotiescumq; manducabis panem hunc & calicem bibetis, mortem domini annunciatibus, donec ueniet. Et tantum de præcipuo fine huius sacro sanctæ Cœnæ, pauca adiçiam de abusu præcipuo.

Multis etiam ijs qui sibi in Christiana religione optimè uidentur esse instituti, etiamnum adhæret Papistica & Idololatrica opinio operis operati, quod cum uerbis, tum uitia testantur. Verbis: quia aperte dicunt, nisi scirent se inde a sequi & reportare remissionem peccatorum, quod nequaquam ad hanc mensam accedere uellent. Vita: quia nunquam ueram poenitentiam agunt, sed impoenitentes in peccatis perseverant: interim ad minus quater in anno communicantes hac spe & fiducia, ut quod in præterito anni quadrante peccatum est, id per acceptiōem oralem substantiæ corporis & sanguinis Christi aboleatur & remittatur. Postea de nouo peccare incipiunt, & rursum more suum communicandi repetunt. Tales fructus fert opinio operis operati, sic ex ceremonia & opere externo (alioquin in bonum & utilem finem instituto) Idolum facit, à quo remissionem peccatorum homines sperare & credere perdite audent. Hic abusus acriter & sepè taxandus est. Facit etiam hæc operis operati opinio, quod nemo ferè ad Domini Cœnam accedat, in hunc finem, ut cum Ecclesia memoriam mortis CHRISTI celebret, hoc enim fieri posse arbitrantur etiam in omnibus communibus conuiuijs, sed potius accedunt, ut fiant participes essentialis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Creditur enim tunc bene nobiscum actum, si corpus Christi in essentialia sua per se considerata ore intra nos corporeo sumptum sit,

fit. Itaq; cōmunicantes omnes & corde & ore ad hoc inhiant, ut quilibet in sua particula panis totum Christum ore intra se recipiat, parum interim de memoria mortis domini & gratiarum actione solliciti. Non enim gratiae Christo aguntur per acta Cœna pro morte & passione sua: sed tantummodo pro eo, quod ipsos essentiali suo corpore & sanguine cibauerit, potauerit, atq; refecerit. Sic opus operatum ubiq; proprium commodum quærerit. Sed uide mihi peruersissimum morem, pro fine accipitur id, quod est res ipsa. Nam participatio corporis & sanguinis Christi sacramentalis, est ipsissima Cœna siue ceremonia & non finis. Finis autem ipsius est, memoria passionis & mortis, hoc est, sacrificij Christi. Adhæc ex publica Ecclesiæ Christi ceremonia, facta est priuata Cœna, quæ instruitur uni tantu, sed unde istud, nisi ex impiissima operis operati opinione? Quæ dixi manifesta sunt adeò ut nō possint negari, & tamen pauci sunt, qui libere ista reprehendunt. Sufficiant ista de usu & abusu Cœnæ dominicæ dixisse, pergamus ad reliqua.

2. SECUNDÒ, Cum manducatio corporis Christi, quæ fit in Cœna, uaria sortita sit nomina, et apud Theologos negotium hoc de Cœna, peculiares quasdam particulas & loquendi phrases habeat, opera prætium erit, primo omnium illas expondere: & significaciones certas constituere, ut uitentur equiuocationes ex quibus logomachia solent oriri.

1. Manducatio corporis Christi in Cœna uocatur primo oralis, nempe propter instrumentum manducans, quia non fides sed os manducat & babit externe corpus & sanguinem Christi in Cœna, hoc est, ea obiecta quæ in Cœna Domini corpus & sanguis Christi sunt, iuxta institutionem.

2. Deinde

2. Deinde uocatur à quibusdam supernaturalis insensibili & spiritualissima, & hoc propter modum manducationis, quem uolunt esse supernaturalem insensibilem & spirituallissimum. In quo tamen maximè falluntur. Nam modus manducandi corpus Christi in Coena est naturalis, sensibilis & externus, quia simplex uerborum Coenæ sensus & definitio Sacramenti maximè hoc requirunt, quemadmodum postea latius dicetur.

3. Porro restant quædam uocabula, quæ ipsum obiectum manducationis, id est, cibum determinant & definiunt, ut cum manducatio hæc uocatur Sacramentalis & Symbolica. Item, Substantialis, Essentialis, Realis & corporalis. Qui enim docent, corpus CHRISTI in Coena, substantialiter, essentialiter, realiter & corporaliter manducari hoc sentiunt, Corpus Christi per se in sua persona absolute consideratum in propria sua substantia, essentia, materia, subiecto, realiter (ut ita dicam) & corporalitatem oralis manducationis obiectum siue cibum esse. E contra uero, qui docent corpus CHRISTI in Coena sacramentaliter & symbolice manducari, hoc uolunt, corpus Christi in Sacramento, symbolo & signo oralis manducationis obiectum siue cibum esse, & non in propria sua materia per se & absolute considerata. Et hic meo quidem iudicio cardo totius disputationis Sacramentariae uersatur.

4. Ad hæc diligenter obseruentur rationes ob quas pannis Coenæ Dominicæ à Patribus signum, sacramentum, symbolum, species & figura sit appellatus. Prima est, ut ostendent

derent corpus Christi de pane prædicari sacramentaliter si-
gnostenus & symbolice. Cum enim res & ueritas siue signa-
tum de suo signo, sacramento & symbolo prædicatur, prædi-
catio talis dicitur sacramentalis. Altera est, ut erroribus
obuiarent, ne scilicet aliquis opinetur, uel ipsum panem per
se & simpliciter corpus CHRISTI esse, uel in corpus
Christi conuerti. Nam ipsa subiecta siue materiam panis &
uini, signa, symbola, Sacra menta, species & figuræ uocant,
& non accidentia externa, sicut Papatus somniauit, &
transubstantiationem mentitus est. Tertia ratio est, ut do-
cerent & testifcarentur corpus Christi non in proprio suo
subiecto, materia & essentia per se & absolute considerata,
externis actionibus Coenæ obijci, sed potius in Sacramento
signo uel symbolo.

Hec ita esse, Paschasius, Theophylactus & alijs sunt
mihi testes, qui omnino repudiant hæc uocabula, quibus prio-
res patres in expositione Coenæ Dominicæ sunt usi, & loco
signi & Figuræ posuerunt & intellexerunt ipsam essentiam
corporis CHRISTI per se consideratam, & induxe-
runt in Ecclesiam Christi sententiam de Coena talem quæ
fuit antiquioribus incognita, & patefecerunt fenestram ad
transubstantiationis errorem. Sed ego malo uti expositione
antiquorum & saniorum patrum, quam cum Theophilac-
to, Papatu & alijs, corpus CHRISTI in propria sua
materia per se considerata externis actionibus Coenæ sub-
iiceret contra uerba & mentem institutoris Christi, & con-
tra sententiam antiquissimorum Patrum.

5. Postremo, antiquitas usa est præpositionibus in, et
 sub, non ut duo subiecta, aut duas essentias per se se confide-
 ratas, corpus scilicet Christi et panem realiter conglutinaret,
 et ex duobus unum quiddam ficeret synecdochice, sed ut signi-
 ficaret, corpus Christi in Coena manducari non in proprio
 subiecto et materia, sed in alio aliunde accessito. Quare in, et
 sub, non significant in hac causa locum aut continens, aut tale
 quippiā, cui aliquid aliud qualecunq; modo siue miraculoſo, siue
 non miraculoſo adhæret, uel inest: sed subiectum siue obiectum
 siue materia ipsam denotant, in qua actiones Coenæ perficiuntur.
 Huc pertinet illud Augustini, ubi inquit. Tum autē corpus Chri-
 sti, unicuiq; erit uita, si quod in sacramento uisibiliter sumitur,
 in ipso ueritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur.
 In hoc dicto August. in ueritate, significat materia et subiectū,
 non locum aut continens alterius rei ueritati coniunctæ. Sic, in
 sacramento, etiam materia uel obiectum significat, et non con-
 tinens alterius rei sacramento unitæ. Videamus etiam reuoca-
 tionem Berengarij, in qua euidentissimè cernere licet, quis sit
 uerus uſus horū uocabulorum. Reuocatio habet, Berengarium
 afferuisse, corpus Christi in solo Sacramento sensualiter a Sa-
 cerdote frangi, et dentibus a fumentibus atteri. At Papiste,
 transubstantiatores, huic quod Berengarius dixit, in solo sa-
 cramento, opponunt, in ueritate, et non solum in sacramento
 corpus Christi sensualiter frangi a sacerdote, et fidelium den-
 tibus atteri. Hic perspicue uidere licet usum uocis, in, nempe
 uocem hanc nequaquam synecdochice accipi, sed materiam si-
 ue subiectum per illam significari, in quo actiones Coenæ per-
 ficiuntur: opponuntur enim inter se Sacramentum et ueritas,
 corpus

corpus Christi in Sacramento, & idem corpus in ueritate. Corpus Christi in ueritate est ipsa essentia & subsistens materia corporis Christi. Corpus uero Christi in Sacramento, est panis ille Cœnæ Dominicæ. Hæc omnia quæ adduxi, tamen clara sunt & extricata, ut nemini non, nisi prædicto & ueritati temere varie contradicti, satisfacere possint.

3. T E R T I O. Nunc uiam ad questionem formandam sternere incipiam, qua strata ipsam questionem tractandam aggrediar. Cœna Domini Christi est tanquam hospitis, à quo etiam Dominica uocatur. Ministri uero Ecclesiæ, huius Cœnæ structores sunt, qui cibum frangunt & distribuunt per partes: simili ratione & potum inter conuiuas diuidunt. Conuiua sunt totus coetus uisibilis Ecclesiae Christi, hi cibum ac potum manibus accipiunt, ore comedunt & bibunt, Cibus autem huius Cœnæ est corpus Christi pro nobis traditum, potus est sanguis Christi in remissionem peccatorum nostrorum effusus.

Q V A E S T I O.

De cibo ergo & potu queritur. Vtrum corpus Iesu Christi obiectatur actionibus illis externis Cœnæ Dominicæ, in proprio suo subiecto, materia siue substantia, absolute & per se in ipsa Christi persona consideratum: An uero in Sacramento, signo & symbolo.

R E S P O N S I O.

Respondet diuus Augustinus de uerbis Apostoli, serm. 2. ubi sic inquit. Tunc autem corpus Christi unicuique erit uita, si quod in Sacramento uisibiliter sumitur, in ipsa ueritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Affirmat Augustinus

nus perspicue, corpus Christi manducari, & in sacramento
hoc est signo, & in ueritate, id est, per se & absoluē. Corpus
itaq; Christi in ueritate spiritualiter manducatur, id est, fide,
& sic dat uitam: In sacramento autem siue signo manducatur
uisibiliter, Hoc est, uisibilis & oralis manducationis obiectum
quidem est corpus Christi, sed in signo, non in proprio subiecto
siue materia, siue substantia per se considerata. Et hanc sen-
tentiam esse immotam ueritatem confirmabo solidis argumen-
tis, quæ omnia sumam, aut ex ipsa institutione, aut ex defini-
tione Sacramenti, aut ex simplici intellectu uerborum cœnæ
Dominicæ. Errorem uero istorum, qui absolutam corporis &
sanguinis Christi essentiam externis cœnæ Dominicæ actioni-
bus obiciunt, Dei gratia in lucem traham, & denudatum, fir-
missimisq; demonstrationibus refutatum, ex Ecclesia Christi
ad Papatum mittam omnium errorum sentinam.

Te igitur Iesu Christe, pro nobis crucifixè & resuscita-
te, summo pectore præcor, siquidem uides Ecclesiam tuā, quæ
unam fidem confitetur, te habet unū Dominum, & unum tuum
Baptisma, miseris modis de uere uerborum tuorum sententia,
quibus sacro sancta tua cœna est instituta, inter se pugnare,
& inuicem se conuiijis se minime dignis proscindere, unde
Papistæ hostes Ecclesiae tue tuiq; Antichristi ansam capiunt
calumniandi uerbum Euangeliu[m]q[ue] tuum, & interficiendi in-
nocentes, & infirmis in fide, multiplex & atrox datur sca-
dalum. Haec omnia cum coram uideas, Iesu Christe, Miserere
quæso, miserrimæ, afflictæ & perturbatæ tue Ecclesiae, &
ueritati succurre, reduc errantes in uiam, spiritu lenitatis &
mansuetudinis rege pectora disidentium. Hoc ut facias, pro-
pter

pter nominis tui honorem & gloriam propter ueritatem &
Ecclesiae tuæ tranquillitatem & pacem, ardentissimis uotis &
toto pectore à te præcor, omnium mitissimè & clementissimè
Iesu Christe, Amen.

CONFIRMATIO PARTIS AFFIR-
MATAE CVM CONFUTATIONE
obiectorum.

Tantum duæ sunt sententiæ de orali corporis & sanguini
nis Christi manducazione & bibitione in coena, quam Christus
in sui memoriam instituit. Una sententia est illorum, qui cor-
pus Christi, immo qui totum Christum per se in proprio suo es-
se consideratum actionibus coenæ obijciunt, idq; contra defini-
tionem Sacramentorum, contra uerba institutionis & eorum
simplicem intellectum, & contra expositionem antiquissimo-
rum Patrum, dissentient tamen paululum inter se, cum quidam
eorum fingant transubstantiationem, quidam uero consubstan-
tiationem, quò in coena hac habeant ipsum Christi corpus in
propria sua essentia per se considerata, conueniunt autem in
eo, quod unanimiter corpus Christi per se consideratum actioni-
bus externis in coena Domini obijciunt. Et hæc est una sen-
tentia. Altera sententia est illorum, qui corpus & sanguinem
Domini, externis quidē coenæ Dominicæ actionibus obijciunt,
sed in signo, sacramento uel symbolo, hoc est, in pane & uino,
idq; iuxta definitionem Sacramentalis ceremoniæ, iuxta uerba
institutionis & eorum simplicem intellectum, & iuxta expo-
sitionem antiquissimorum Patrum. Hanc posteriorem senten-
tiā defendendam sumpsi.

1. Primo igitur loco sumam argumenta ex definitione generali sacramentorum in Nouo testamento: & demonstrabo, corpus Christi per se consideratum in proprio subiecto, materia & substantia, non posse obiectum esse externarum actionum in Cœna Domini. Definitio hæc approbata est ab omnibus Euangelicis. Sacramentū in Nouo testamento (quando uox Sacramenti significat actum sacramentalem) est cœ- remonia habens actiones externas & incidentes in oculos, in= stituta à Christo, ut esset aut sigillum remissionis peccatorum, aut commonefactio nostræ redēptionis per mortem Christi. Et rectè quidem dicitur, sacramenta habere actiones externas & uisibiles. Nam res uel actio inuisibilis non potest aliud quod etiam inuisibile est, aut quod præteriit obsignare. Per uisibilia enim ea que sunt inuisibilia obsignantur, & in memoriam re= uocantur. Quare proprium sacramentorum est, ut sint actio= nes externæ & incidentes in oculos. Nunc speciem accommo= dabo ad genus. Cum Cœna Domini sit sacramentum, in Nouo Testamento à Christo institutum, ut corpus & sanguine ipsius distribuentes, manducantes & bibentes, mortem eius annun= ciaremus donec uenerit, sequitur, omnes actiones Cœnæ debe= re externas esse & uisibiles, & corpus Christi in Cœna exter= ne & uisibiliter debere frangi diuidi & manducari. Item, san= guinem Christi uisibiliter & externe debere distribui & bibi, in rei nobis inuisibilis, quandam tamen actæ, memoriam, cor= poris, uidelicet, Christi. Nunc huc accedite qui corpus Christi per se consideratum in propria materia uel substantia obijci= tis externis Cœnæ actionibus: Respondete, Num conueniat, corpus Christus per se consideratum extēnum & uisibilem

cibum

cibum esse, ex in proprio suo subiecto frangi, per partes distri-
bui & dentibus manducari. Sed dicitis, hæc sententia non est no-
stra, Imo sic docemus: Essentialia corporis Christi inuisibiliter
& supernaturaliter manducari. Audio, sed dicite mihi, Estne
talis manducatio sacramentalis, quæ non uidetur, & quæ non
est naturalis, sed supra naturam nostram? Certe eiusmodi man-
ducatio nequaquam est sacramentalis, nam quæ sunt propria
sacramentalis manducationis iam dictum est, uidelicet, quod
celebratio sacramentorum debet habere actiones externas &
incurrentes in oculos, & debet nobis facilis & possibilis esse:
& non supra vires nostras. Iterum obijcitis: uerum est, quod
manducatio essentialis corporis Christi non uidetur, sed tamen
sit simul cum pane, qui uisibiliter frangitur & manducatur.
Respondeo. In hac uestra obiectione multi sunt & non exigui
errores, Christus non instituit panis manducationem in com-
memorationem mortis suæ, sed manducationem corporis sui,
& bibitionem sanguinis sui, Ergo corporis Christi fractio, di-
atributio & manducatio debet esse externa & uisibilis. Neq;
panis in Coena est res absoluta, sed est corpus Christi, neq; hoc
absolutè sed sacramentaliter. Præterea, qui dicit corpus Chri-
sti cum pane simul manducari, is manifeste negat, panem esse
corpus Christi, duo enim subiecta absolute considerata coniun-
git, panē uidelicet, & corpus Christi. Nam si manducatio pa-
nis est uisibilis & manducatio corporis Christi est inuisibilis,
certe panis & corpus Christi sunt diuersa subiecta, & res ab-
soluta, & manducatio panis nō est manducatio corporis Chri-
sti: sed sunt diuersæ manducationes sicut diuersa obiecta, una
naturalis altera supernaturalis. Videatis nunc, quām mulii sint

B ij errores

errores in uestra obiectione, sed in hanc sententiam postea plura erunt dicenda. Demonstratum igitur est evidentissime, ex ipsa definitione Sacramenti, Cum non conueniat corpori Christi per se esse & absolute considerato, externe & uisibiliter frangi, distribui & manducari, quod ipsum etiam in propria sua materia & essentia per se considerata, non sit obiectum externalium actionum in coena Domini.

2. Secundo loco demonstrabo ex ipsa institutione & uerbis coenæ, corpus uidelicet Christi crucifixi in accersito subiecto, hoc est, in signo, sacramento & symbolo suo obiectū esse externalū in coena Domini actionum. Christus de pane dixit, hoc est corpus meum, & de uino in calice, hoc est sanguis meus. In istis prædicationibus tria sunt diligenter perpendenda. Unū est subiectum, alterum prædicatum, tertium est copula subiecti ac prædicati, siue modus & ratio harum prædicationum.

A S V B I E C T O sic argumentor. Tantummodo panis & uinum quoad externalam ceremoniā in coena corpus & sanguis Christi sunt, & actionibus coenæ obiciuntur. Panis autem & uinū in coena Domini non sunt ipsæ essentiæ, uel ipsa materia corporis & sanguinis Christi, per se considerati, neq; in ipsis essentiis corporis & sanguinis Christi transubstantiantur, sed sunt & manent Sacramenta, signa & symbola corporis & sanguinis Christi. Ergo, ipsæ essentiæ uel materia corporis & sanguinis Christi per se considerati absolute actionibus externis coenæ Dominicæ non obiciuntur, sed panis et uinum, que in hac actione corporis et sanguinis Christi sunt sacramenta, signa et symbola. Maiorem probo, et in primis quod dixi. Tantummodo panis, etc. Nam demonstratiū, Hoc, in uerbis Christi nihil

nihil aliud demonstrat nisi panem illum cœnæ, et est subiectum in ipsa propositione, Hoc est corpus meum. Quare reiicio sententiam illorum, qui in uoce (Hoc) synecdochen fingunt, et uerba Christi aliter exponunt, et dicunt, hoc quod in pane exhibetur est corpus Christi. Nam iuxta hanc sententiam, non panis ille, sed id quod in pane est et exhibetur est corpus Christi. Ita talis synecdoche, primo negat panem esse corpus Christi, quia demonstratum (Hoc) non refert ad panem, sed ad ipsum corpus CHRISTI in pane contentum. Deinde soluit prædicationis nexum, quia ex prædicato ad hoc unum subiectum facit, quod priori scilicet pani agglutinat, contraria turam illarum propositionum, in quibus prædicatum docet quid subiectum sit, non quid subiecto insit. Igitur tantummodo panis est corpus Christi, & non aliud quoddam subiectum, & notanter adjicio clausulum hanc, scilicet quoad externam & sacramentalem actionem.

Quidnam quæstionem hanc assidue inculcant. Num corpus Christi corporaliter præsens fit in cœna: Qui ita querunt, errorem suum produnt, suo ipsorum iudicio, tanquam forex. Nam cum de corpore Christi absolute considerato querunt, totam personam intelligunt, sed quid disputatio de præsentia personæ, ad sacramentalem corporis Christi manduca-
tionem pertinet? Nam neq; à præsentia corporis Christi ab-
solute considerati ad manducactionem oralem consequentia ua-
let, neq; tota persona, quantum ad hanc externam & oralem
manducactionem, cibus est: sed tantum pars personæ, uidelicet
corpus, neq; corpus CHRISTI in proprio suo esse subiectur,
sed in aliunde accessito, nempe in pane. Ergo panis est corpus

B iiiij Christi,

Christi, siue Christus personaliter adsit uel absit. Ad subiectum
 igitur respice, nempe, ad panem, & uide corpus Christi, &
 desine interrogare, An corpus Christi sit in cena, tolle panem
 ex cena, & sustulisti corpus Christi ex cena. Vide mihi primam
 institutionem & celebrationem cœnae. Nonne corporaliter
 adeoq; uisibiliter aderat Christus? Et tamen panis erat corpus
 Christi, & actionibus cœnae externis obiectebatur, ipsum cor-
 pus Christi per se & absolute consideratum, neq; uisibiliter
 frangebatur, neq; distribuebatur, neq; commedebatur. Venio
 nunc ad minorem, Panem scilicet non esse ipsam essentiam uel
 materia corporis Christi per se considerati, sed potius Sacra-
 mentum, signum & symbolum corporis Christi, neq; fieri trans-
 substantiationem. Primum enī certo scio, quod nemo fidelium
 fatebitur unquam, corporis Christi propriam materiam siue
 proprium subiectum panaceum esse. Deinde & hoc certū est,
 panem illum cœna uocatum à patribus nomine sacramenti, si-
 guræ repræsentationis & symboli, certè non alia de causa quā
 ut obuiarent errori de manducaione essentiali corporis Chri-
 sti, ut supra quoq; dixi. Neq; sacramentalis & essentialis man-
 ducatio corporis Christi, una est eademq;. Sicut enim diffe-
 runt Sacramentum & res sacramenti, signum & res signata,
 sic etiam manducatio Sacramenti siue signi differt à manduca-
 tione rei sacramentalis uel rei signatae, Cū igitur corpus Chri-
 sti manducatur in signo siue sacramento, manducatio dicitur
 sacramentalis, cum uero in ueritate & re ipsa, essentialis di-
 citur manducatio. Atq; illud sacramentalis & Essentialis man-
 ducationis discrimen, non est factū propter instrumenta man-
 ducantia, sed propter obiecta, id est, propter cibum & potum,
 qui

qui aut sacramentotenus aut re uera siue in proprijs essentijs, instrumentis manducantibus obijcitur. Postremo quod nulla fiat transsubstantiatio panis & uini sic probatur: Quia si fit, institutio Christi perueritur, abolet enim & in nihilum redigit substancialam panis, nempe hoc ipsum, quod in hac cæremonia corpus Christi est. Nam cum panis sit corpus Christi certè pane non extante, corpus Christi in Coena non extat, & ita Christi uerba amplius non sunt uera, ubi dixit, panē illum esse suum corpus, & uinum illud esse suum sanguinem. Transsubstantiatores interrogo, quæ res sit ipsis corpus Christi in coena, certè non respondebunt panem esse (nullum enim panem in coena habent, quia transsubstantiatus est) sed mittent me ad ipsam substantiam corporis Christi absolute consideratam, tectam in altari panis accidentibus. Errant igitur omnes qui corpus Christi per se consideratum, in propria sua materia & subiecto externis actionibus coenæ obijciunt.

A P R A E D I C A T O duo argumenta duco, unum à propria prædicatorum significatione, Alterum à natura termini qui prædicatiū dicitur. Primum: Cibus coenæ qui debet exteriorus esse & uisibilis, non est Christi anima, neq; est diuitias, neq; tota Christi persona, sed tantum corpus, pars scilicet personæ Christi: Et cū corpore Christi non simul sanguis ipsius sed postea & scorsim ad bibendum distribuitur. Cum autem impossibile sit, corpus Christi per se consideratum externum & uisibilem cibum esse, & separatum ab anima sua & diuinitate posse frangi, distribui & manducari. Item, cum impossibile sit, sanguinem Christi per se & absolute consideratum à corpore scorsim distribui posse, nam unio personalis obstat: Conuenit,

ut Christi corpus non in proprio suo esse per se se considerato, cibus sit, sed in signo & sacramento, & ut sanguis Christi non in proprio suo esse absolute considerato potus sit coenæ Dominicæ, sed in signo, symbolo & sacramento. Maiorem probo: Et primo quidem id quod de cibo dixi, hunc scilicet oportere esse externum & uisibile. Nam externis & uisibilibus actionibus conuenerire necesse est debitum & conueniens obiectum. Quia uero cum cibo inuisibili, inuisibiliter & supernaturaliter manducato non potest celebrari ceremonia, & actio incurrens in oculos, necessario sequitur, cibum & potum coenæ Dominicæ debere esse externum & uisibilem. Deinde, quod dixi cibum coenæ non Christi animam, non diuinitatem esse, probatur ex simplici significatione uocabuli corporis. Nam si corpus pro tota persona acciperetur, synecdoche esset in ipso uocabulo, & pars nominaretur pro toto. Adde, quod neque Christi anima, neque diuinitas externis Coenæ actionibus possunt obijci, cum sint spiritualia obiecta. Item, quod tota persona, quæ est Christus non oris sed fidei sit obiectum. Dicere enim personam Christi ore applicari est absurdissimum absurdum in Theologia. Christum enim nobis tantum fide applicamus. Quod autem quidam somniant, unum eundemque Christum Deum uerum & uerum hominem, & fidei & ori exhiberi, fide & ore simul applicari, uerbo Dei & Christianæ fidei manifeste & ex diametro repugnat & contrariatur. Fides enim sola Christum sibi applicat & appropriat, & prorsus nullum hominis opus siue morale siue ceremoniale. Postremo, quod dixi, Christi Ianguinem seorsim à corpore distribui, demonstratur ex ipsis uerbis Domini, non enim de pane dixit, hoc est sanguis meus, neque de uino hoc est corpus meum, sed prædicauit corpus suum.

sum de pane, & sanguinem suum de uino. Ergo panis ille tan-
 tum est corpus Christi, & uinū illud tantum est sanguis Christi,
 quare sanguis Christi cum corpore simul non exhibetur, nisi
 quis pane & uinum coenæ Dominicæ simul accipiat, quod tamē
 esset cōtra institutionem. Nam Euangelistæ tradunt, paululum
 temporis intercessisse, inter distributionem corporis & sanguini-
 sis Christi. Postquam enim coenauit, inquit, accepit calicem.
 Firmissimè igitur ex prædictis concludo, corpus & sanguinem
 Christi cibum esse & potum, & actionibus istis externis coenæ
 Dominicæ obijci, non in proprijs suis materijs siue subiectis
 per se consideratis, sed in sacramentis symbolis siue signis.
 Secundum argumentum est. Nullum prædicatum factum ad
 quæstionem, quid est hoc ? per se quoq; in proprio suo subiecto
 subijcitur, præter subiectū illud de quo est dictum. Corpus Chri-
 sti est prædicatum factum de pane, ad quæstionē quid est hoc ?
 Ergo, corpus Christi per se quoq; in proprio suo subiecto non
 subijcitur, præter subiectum illud, nempe panem, de quo est di-
 ctum. Maior est manifesta. Quia si prædicatum subiectū suum
 de quo dicitur, quid sit definiens, per se constitueret aliud,
 & quidem peculiare subiectum, extra siue præter id quod iam
 constitutum est, prædicationis nexus omnino dissolueretur,
 & prædicatum amitteret suam naturam, & ita fieret subie-
 ctum, cum tamen omne prædicatum quærendum & conside-
 randum sit in eo subiecto de quo est dictum. Cum igitur quæ-
 ro, Quod sit corpus Christi in coena, cum Christo responden-
 dum est de pane, hunc uidelicet corpus Christi esse. Sicut enim,
 cum à me quæsumus de pane in coena, quid sit, respondeo, esse
 corpus Christi: Ita cū interrogor de corpore Christi in coena,
 respondeo

respondeo, esse panem illum cœnæ. Nequidquam igitur rectè de corpore Christi per se considerato, in hunc modum respon=detur, hoc quod cum pane exhibetur est corpus Christi, sicuti quidam respondent & docent. Nam hoc pacto corpus Chxisti, nullam habet rationē prædicati, sed subiectur, idq; in proprio suo esse, et sic habentur in cœna duo subiecta, uel duplex cibus & potus externus & corporalis, unus panis & alter corporis Christi, et hoc modo panis non est corpus Christi, sed panis est panis, et corpus Christi est corpus Christi: Nunc itaq; sic colligo, cum corpus Christi subiectum non sit, sed prædicatum, quod neq; in propria sua materia, actionibus illis externis cœnæ Dominicæ subiectiatur, sed in aliunde accessito subiecto, nempe in pane, similiter & de sanguine Christi colligo.

A COPVLA subiecti & prædicati, siue à forma prædicandi, quæ est in uerbis Christi, sic argumentor. Modo, quo Christi corpus de pane prædicatur, eodem etiam in cœna frangitur, distribuitur, accipitur & manducatur. Sed corpus Christi sacramentali modo de pane prædicatur, Ergo, corpus Christi, quoad sacramentum siue signum, externis actionibus cœnæ obicitur, et non quoad propriam substantiam uel ma=teriam. Maiorem probbo, Quia secundum ueritatem proposi=tionum, de certitudine & ueritate omnium rerum est sentien=dum, neq; ueritas propositionum tenetur, si modus, forma & ratio prædicandi adhuc ignoratur. Et copula (est) in omni=bus prædicationibus non aliter potest exponi, quam iuxta mo=dum prædicandi. Si modus est essentialis, copula etiam essens=tialiter exponitur: si figuralis, figuraliter, si sacramentalis sa=ramentaliter. Demonstremus igitur corpus Christi de pane,

Et sanguinem eius de uino sacramentaliter prædicari, quod si demonstratum est, euicimus quod uoluimus.

Verissima est hæc Regula : Oportere ut subiectum sit idipsum, quod ad quæstionem factam, per quid sit, de ipso prædicatur, et hoc, aut per se et simpliciter, aut aliqua ratione et secundum quid. Itaq; in his propositionibus, Panis est corpus Christi, uinum est sanguis Christi, prædicata docent, quid subiecta sint, necesse igitur erit, ut panis hic sit idipsum, quod de se prædicatur, et uinum similiter sit idipsum quod de se prædicatur. Videamus nunc an substantia et simpliciter ea sint, qua de ipsis prædicantur : An uero secundum quod et ratione quædam. Principio, neminem unquam exitisse arbitror, uel in posterum quendam futurum, qui audeat docere, corpus et sanguinem Christi, simpliciter, absolute et naturaliter, hoc est, simplici, absoluta et naturali prædicationis forma de pane et uino coenæ Dominicæ prædicari, simpliciter igitur, absolute et naturaliter harum propositionum nulla est uera, Imo quanquam uocabula simpliciter intelliguntur, sicuti sonant : cohærentia tamen subiecti et prædicati siue prædicationis forma, non est simplex, absoluta, naturalis siue regularis. Ut autem cognoscatur modus prædicandi in uerbis Christi, et ex modo ueritas propositionum, inspiciantur termini. Ideo uideamus quomodo inuicem se habeant, subiecta et prædicata. Non recens doctrina est, et nuper excogitata, sed ex Patrum antiquissimorum scriptis desumpta, panem uidelicet et uinum Dominicæ coenæ Symbola, signa et Sacra menta esse, corpus uero et sanguinem Christi, res ipsas et ueritates. Habent igitur se prædicata hæc, ad sua subiecta, tanquam signata ad sua signa: Res

¶

erueritates ad sacramenta sua & symbola. Quare cū res ipse,
 hoc est, corpus & sanguis Christi, de pane & uino tanquā de
 suis symbolis uel sacramentis prædicentur, uero uocatur præ-
 dicatio hæc sacramentalis. Sic & Augustinus prædicationem
 hanc intellexit, qui scripsit ad Bonifacium: Sacra menta habere
 nomina earū rerum quas significant, & probat exemplis, inter
 quæ Eucharistiam quoq; commemorat, quod eam appellemus
 corpus Christi, cum sit illius sacramentum. Et Cyprianus ait,
 significantia & significata ijsdem nominibus censeri. Prædica-
 tio hæc dicitur etiam à quibusdā figurata, non ideo, quod in uo-
 cabulis figura lateat, nam uocabula hīc propriè significant: aut
 quod hæc coena figura sit futuri alicuius euenīus, sed quod figu-
 ra idē est in hoc negotio, quod symbolum, signū, siue sacramen-
 tum, & quicquid his similem significationem habet. Ex prædi-
 ctis concludo, cum corpus & sanguis Christi de pane & uino
 sacramentaliter prædicentur, sacramentaliter quoq; ueras esse
 propositiones istas. Panem esse corpus Christi, & uinū esse san-
 guinē Christi. Si sacramentaliter ueræ sunt, sequitur, q; corpus
 & sanguis Christi sacramentotenus, hoc est, sub signis uel sa-
 cramentis, non in proprijs suis essentijs per se & absolute con-
 sideratis, externis istis actionibus coenæ Dominicæ obijciantur.
 Sed hoc loco obijciunt: Christus non dixit, hoc est figura, sym-
 bolū, signum uel sacramentum corporis mei: sed dixit hoc est
 corpus meum. Respondeo, A non sic dictum esse, ad non sic in-
 telligi, non ualeat consequentia. Multa enim à Christo sunt sic
 dicta, sed non sic intelliguntur, Christus iubet uendita tunica
 emere gladium, intelligimus autē spiritualem gladium, quam-
 uis non sic dixerit Dominus. Imò nos intelligitis, panem corpus
 Christi

Christi esse, essentialiter & realiter, cum neq; hoc Dominus dixerit. Cum Christus diceret, hoc est corpus meum, corpus suum non prædicavit de substantia & subiecto sui ipsius corporis absolute considerati, sed de pane, ueri sui corporis sacramento, prædicatio igitur hæc non est essentialis sed sacramentalis.

3. Nunc tertio quoq; loco eandem sententiā ex simplici intellectu uerborū cœnæ Dominicæ demonstrabo. Ad manus igitur sumamus uerba institutionis Cœnæ huius ex Apost. Paulo 1. Cor. 11. & explicemus singula uerba iuxta simplicē illorum acceptiōnē, & hoc modo uidebimus, opinionē eorum qui essentiam corporis Christi absolute et per se se consideratā, externis actionibus cœnæ obijciunt, nequaquam conuenire cum uerbis Christi siue cum institutione, sed potius totum negotiū hoc inuertere, & ubiq; cum simplici uerborum intellectu dissentire. Sic scribit Apostolus citato loco. Conuenientibus ergo uobis, iā non est Dominicam cœnā manducare, hoc est, Vos Corinthij, quando conuenitis, manducatis quidem cœnam, sed illa cœna non est Dominicā, Ratio est, Quia unusquisq; propriam cœnam præoccupat in uescendo, & hic qdē esurit, ille uero ebrius est, quasi dicat Apostolus, Dominicā cœna est communis, quæ simul ab omnibus debet fieri de eodem pane, & ex eodē calice, & in cōmemoratiōne mortis Christi, uos uero ex cōmuni cœna dominica, priuatam cœnā facitis, quia unusquisq; suum proprium cibum & potū habet, & manducatis ad faciētatem, & non in cōmemoratiōne mortis Christi, qdā qui inter uos habet, ebrius est, qui non habet, esurit. Hic habes simplicē horum uerborū intellectum, qui ita me erudit, ut credam, Corinthios conuenisse in unum, alterū altero ciuili aut serius, & aliū aliū nō expectasse,

neq;

neq; de uno pane comedisse, sed quemlibet attulisse suum prae-
rium cibum, & manducasse ad satietatem usq; interim multos
alios adfuisse, qui nihil haberent ad manducandum, & putasse
talem coenam esse Dominicam, cum tamen talis actio & cele-
bratio cu institutione coenæ nullo modo conueniat. Hanc actio-
nem reprehendit Apostolus, & indignam uocat manducatio-
nem. Imò dicit, talem actionem non esse coenam Dominicam.

Nunc sic colligo, si in coena Domini transsubstantia-
tio fieret panis, aut si panis & corpus Christi synecdochice essent
confubstantiata: aut si corpus Christi per se & absolute in
ipsa persona consideratum presens adesset in coena: quanta
grauitate & uelementia Apostolus potuisset Corinthios obiur-
gare, & illis incredilitatem & contemptum institutionis Chri-
sti obijcere. Manifestum est autem ex ipsis uerbis Apostoli,
ipsum non reprehendere Corinthiorum de coena Domini fidem,
sed indecentem actionem sive celebrationem Coenæ. Ergo, ne-
quaquam Apostolica fides est, credere aut transsubstantia-
tionem, aut Synecdochicam unionem panis & corporis Christi,
aut corporis Christi absolute & per se considerati presen-
tiam corporalem in coena. Multo minus Apostolicum est, crea-
dere quod corpus Christi per se consideratum, in proprio
suo subiecto externis actionibus coenæ Dominicæ obijciatur.

Quod autem regerunt, Apostolum instruxisse fidem Cor-
inthiorum ipsa recitatione & commendatione institutionis:
Respondeo. Quamuis Apostolus Corinthios ad primam Chri-
sti institutionem reuocauerit, tamen nusquam eos docuit fidem
transsubstantiationis panis in corpus Christi: aut fidem confub-
stantiationis panis & corporis Christi. Nam neq; transsubstan-
tiationis

tatio, neq; consubstantiatio ex simplici intellectu uerborum Christi potest demonstrari, (ut infra dicitur) sed tantummodo docetur: Panem illum coenæ esse corpus Christi, & uinum il- lud in calice esse sanguinem Christi.

Reiatio etiam ex uerbis Apostoli, quod quidam tradi- derunt, Corinthios ante coenam Dominicam agitasse conuiu- um, quo peracto coenam Domini subsequitam esse. Ego sim- pliciter inhereo uerbis Apostoli, qui inquit, Conuenientibus uobis in unum, iam non est Domini Cœnam manducare. Ex his uerbis colligo: Apostolū nequaquam hic loqui de aliquo præ- ambulari conuiuio, sicut quidam & hoc textu elicere conan- tur: sed de ipsa cœna Domini, à Corinthijs peruersè celebra- ta, quam omnino negat Domini cœnam esse. Erat enim actio prorsus diuersa, ab actione coenæ Dominicæ, unusquisq; habe- bat suum cibum & potum: non manducabant de uno pane, & non bibeant ex uno poculo, replebant uentriculum ad satieta- tem usq;, & nulla siebat commemoratio mortis Christi. Con- fusione igitur tali compulsus Apostolus, inquit, Nunquid do- mos habetis ad manducandum & bibendum: aut Ecclesiam Dei contennitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid uo- bis dicam? laudabo uos in hoc? non laudo, quasi dicat Aposto- lus. Si uultis uentriculum satiare cur hoc non facitis domi? in Ecclesia hoc non licet: sed est longe alius usus & præstantior coenæ Dominicæ, sicut institutio Christi habet, ad quam uos reuoco. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi uobis, hoc est, coena Dominicæ non est meum inuentum, sed Christi do- mini nostri institutum: Quare non licet nobis in hac celebra- tione pro nostro aliud agere arbitrio, quod est præter insti-

tutionem Domini. Hæc est reprehensio Apostoli, ad quam rursum redibit post narrationem institutionis.

Audiamus ipsam institutionē diligenter, & videbimus, neq; ritum, neq; fidem, neq; finem cœnæ Dominicæ hodie obseruari ab his, qui sibi solis catholicam & orthodoxam de cœna Domini & ceremoniam & fidem & simplicem intellectum uerborum arrogant. Hæc autem quaatuor institutio Christi continet, Primum, sunt ipsa obiecta externalium cœnæ actionum. Secundum, est ipse ritus cœnam celebrandi, uel sunt ipsæ actiones quæ in obiecto peraguntur. Tertium, est fides de obiectis, pane uidelicet & uino. Quartum, est finis totius huius Sacramentalis ceremoniæ.

De obiectis actionum sic habet institutio. Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem. Et postea: Similiter & calicem. Hic audis primò, tempus primæ cœnæ non esse, sed cum circumstantia temporis non habeat pecuniale Christi mandatum, commissa est illa libertati Christianæ, Deinde doceris panem & uinum esse obiecta externalium actionum in cœna Domini. Vnde colligo, necessario & tanie panem atq; uinū requiri ad celebrationem huius cœnæ, non carnem, non caseum, non fructus, non cereuisiam aut alium quendam liquore, quia acceptio panis & uini comprehensa est sub mandato, hoc facite: quasi dicat dominus, hoc quod ego feci & non aliud, hoc & uos facite, uidistis autem me accepisse panem & uinū, hæc & uos accipite. Nulli igitur creaturæ licet in cœlo & in terra, illa obiecta mutare aut tollere, sicuti quondam perfidè fecerunt illi, quos Aquarios uocarunt, hi aquā pro uino acceperunt, alij & lacte pro uino sunt usi & cum pane caseo,

Et sicut Papistæ faciunt, qui laicis usum calicis sunt furati. Ha-
 bent tamen Christiani et suam libertatē quoad prædicta obie-
 cta, cum enim nulla mentio expresse & singulariter fiat, de ali-
 quo peculiari genere panis & uini, liberū nobis est relictū albo
 pane uel nigro, fermentato uel azymo. Item, uino albo uel ni-
 gro, ueteri uel nouo, uti : modo hoc fiat in Ecclesia decenter &
 ad ædificationem. Hic non satis possum admirari superstitione-
 los illos, qui pro pane à Papistis introducto, ita pugnant, tan-
 quam pro aris ac focis, ut dicitur : cum tamen illo pane (si
 tamen panis dici meretur) nihil aliud efficiant, quam quod in
 populo magnam alant superstitionem, ne dicam idololatriam.
 Nullum enim panem corpus Christi esse populus credit, nisi
 illum rotundum & paruum, in quo imaginem crucis Christi
 oculis cernit, non igitur ædificat panis ille papisticus, sed po-
 tius destruit & destructum in perditione sua seruat ac detinet.
 Vnde putas esse, quod tam multi, qui ante uiginti annos &
 amplius, Papatui renunciauerunt, adhuc tamen transsubstan-
 tiationem panis in corpus Christi ui uerborum, prolatorum
 uel cantharorum credunt, nisi ex tam uehementi defensione
 & usu Papistici istius panis ?

Ritus enim Papistici adhuc ferè omnes obseruantur apud
 primi nominis Euangelicos, & nihil ēst immutatum, aut insti-
 tutioni Christi conformatum, nisi quod altera coenæ pars, nem-
 pe usus calicis restitutus est. Recte igitur faciunt, qui pro pa-
 ne illo Papistico utuntur pane uulgari & cibario, errores
 enim ex hominum animis extirpandi sunt, non tantum uer-
 bis sed & Exemplis. Si doceo liberum esse quo uelis pane uti,
 cur non admitto exemplum ? si doceo panem non transsubstan-

tiari, cur non reijcio illum panē in quo transubstantiatio cre-
ditur? Populus enim tunc credit fidem mutatam, cum uidet ex-
terna mutata, externis adhuc immutatis, pristinam fidem re-
tinet, parum reputans quid interea doceatur. Hæc de obiectis
actionum in cœna Domini.

Sequuntur nunc ipsæ actiones. Hæc perficiuntur partim
à Christo tanquam administratori : partim uero à discipulis
ipsius tanquam coniuisi. Christus Dominus noster super ac-
ceptum panem & uinum gratias egit, panem fregit in partes,
& partes fractas discipulis ad manducandum dedit, iubens il-
los eas accipere & manducare : Postea & calicem dedit, ius-
siūq; discipulos omnes ex eo bibere. Discipuli uero panem &
uinum acceperunt, panem manducauerunt & uinum biberunt:
Habes h̄ic ritum cœnæ Dominicæ. Sunt igitur actiones cœnæ
Dominicæ. gratias agere, panem in partes frangere, partes
panis distribuere, & distributas accipere & manducare. Vnde
colligo, nullam harum actionem omitti posse, sed necessario
omnes ad cœnam Domini requiri, quia comprehensæ sunt sub
mandato Christi (hoc facite.) Examinabimus nunc ipsas actio-
nes secundum simplicem intellectum uerborum Christi, & ui-
debimus, simplicem illorum intellectum pro nobis facere : &
defensores r̄e p̄r̄e institutionem Christi non seruare. Primum
quod steri debet, est gratiarum actio, Christus enim accepto
pane gratias egit. Papistæ per gratiarum actionem intelligunt
suam quam singunt consecrationem, cuius uero efficacia panis
transubstantietur in corpus Christi, qui sanè intellectus pror-
sus est alienus à simplicitate & ueritate uerhorū Christi. Nam
certum est ex Marco cap. 8. hæc duo iuxta se & in se pro-

pro eodem usurpari. Adde, quod si uerba hæc (Hoc enim est corpus meum) sunt uerba consecrationis, & consecratio per benedictionem Christi, sive gratiarum actionem intellecta, est actio prima: sequitur, Christum aut ante fractionem & distributionem dixisse de pane, hoc est corpus meum: aut gratias agendo non consecrassæ. Sed Christus nō protulit hæc uerba (hoc est corpus meum) ante fractionem & distributionem, sicut ex institutione demonstrari potest, Ergo, benedicendo & gratias agendo Papistico more non consecrauit, id est, elemenda quoad substantias non mutauit. Et quod plus est, nullus Euangelistarum aut Apostolorum, scripsit aut tradidit, quibus uerbis Dominus benedixerit sive gratias egerit. Nunc si per benedictionem intelligis consecrationem, certè desunt tibi uerba consecrationis. Quare et si Christus benedicendo consecraset, tamen nos non possemus consecrare, cū uerba quibus Christus consecrauerit non extant. Ego per gratiarum actionem sive benedictionem simpliciter, uti uerba sonant & significant, intelligo: Christum accepto pane more suo solito gratias egisse Deo Patri suo, pro donis suis, & præcipue pro redemptione generis humani suo iam instantie sacrificio. Et quoad hanc primam actionem, fideles etiam habent suam libertatem, & possunt gratias agere liberè & tali formula, quæ prodest ad Ecclesiæ & totius communionis ædificationem. Sequitur nunc fractio panis, actio secunda. Hic simpliciter intelligo Christum panem in manus acceptum in partes fregisse: & inde colligo, nequaquam hanc actionem in usu coenæ Domini omittendam esse, cum Christus hoc fecerit & dixerit, hoc facite, hoc uidelicet, quod me facere uideris. Quare fractio panis non est com

mittenda ædituo, aut alijs cuidam, qui priuatim domi sue par-
tes ex toto pane faciat, sicuti nostro tempore fieri solet, sed
minister Ecclesiæ in ipsa actione cœnæ debet de pane in ma-
nus sumpto partes frangere, & unam quamlibet partem de-
cerptam distribuere. Nam, sicut nemini conceditur particu-
lam sibi datam domum deferre & domi sue manducare (quia
manducatio debet fieri in ipsa celebratione cœnæ) Ita non est
concedendum, ut partes ex pane priuatis in ædibus alicuius
fiant, & ad Ecclesiam apportentur, quia fractio panis æquè
est actio cœnæ Dñminicæ ac manducatio. Neq; panis fractio
mysterio caret, sicut enim ante oculos nostros panem hunc
uidemus frangi, tam certò credamus corpus Christi per se
consideratum pro nobis esse fractum, id est, occisum & ma-
ctatum, uel ut Apostolus dicit, quod pro uobis frangitur. Re-
spondeant nunc defensores τοῦ πιτοῦ atq; dent rationem, cur
fractionem panis iuxta institutionem Christi non seruent, aut
seruare & restituere non finant qui uolunt. Mirum est, quo-
modo hic ineptient : dicunt, panem frangere phrasin esse He-
braicam, & idem significare in hoc loco quod dare, iuxta
illud. Frange esurienti panem, &c. Ego uos uestro gladio iu-
gulabo.

Quoad expositionem copulæ (est) sic nobis obijcitis,
quanquam hoc uocabulum pro significat usurpatum posset in-
ueniri in sacris literis : tamen à nobis nondum esse probatum,
quod ita accipi oporteat, in his Domini uerbis hoc est cor-
pus meum. Idem uobis respondeo, quamuis uerbum frangendi
in illo loco Esaiæ pro uerbo dandi esset usurpatum, tamen non-
dum probauissetis, quod ita accipi oporteat in uerbis cœnæ Do-
mini

minicæ. Quod uero ad locum Prophetæ, aperte dico, per uerbum (P A R A S) genus significari non speciem, significat enim diuidere, partiri aut partes ex toto facere. Frangere autem est species diuisionis: Partes enim ex toto sunt aut fractione, aut sectione aut alio quodam modo. Munsterus locū Esaiæ sic uerbit. Nunquid ut partiaris esurienti panem tuum? Forsterus sic uertit. Nunquid diuidendo esurienti panem tuum? Propheta igitur uult, non ut omnem tuum panem, aut totum panem des esurienti, sed ut aliquos aut saltem partem panis tui pauperi impertias. Ergo in hoc dicto prophetæ, frangere nequaquam significat simpliciter dare, sed partem panis à toto diuisam alij impartire. Verbum autem græcum κλάσω apud Paulum & Euangelistas speciem diuisionis significat, nempe fractionem quæ sit cum fragore.

Et ut uno uerbo dicam quod res est, fractio panis in coena Domini differt à datione, sicut ex uerbis institutionis meridiana luce clarius est, fregit enim Dominus panem ac dedit prius panem fractione diuisit, & postea partes fractas discipulis dedit. Quare quoad hanc coenæ actionem, non solum genus urgemos, hoc est, diuisionem: sed etiam speciem, nempē fractionem, & retinemus simplicem intellectum uerborum, contra illos qui se defensores esse uerborum Christi iactant: sed falso.

Hucusq; dixi, de actionibus quas minister in obiecto cibo perficit, exemplo Christi. Dicam nunc de actionibus communicantium, Hi enim datum panem & unum accipiunt, manducant & bibunt, sicut præcipit Christus dicens: accipite, manducate, bibite. Hic rursus intelligo naturalem &

simplicem acceptationem sicut natura homini est datum, oblatum cibum & potum manu accipere & ori admouere: & intelligo naturalcm & sensibilem manductionē & bibitionem, nam ita me docet simplex intellectus uerborum Christi. Quis hic potest omnes superstitiones communicantium recensere? superstatio est non honor Sacramento exhibitus, cibum uidelicet oblatum non uelle manu accipere: non manducare, non bibere. Non enim accipiunt, sed illis in os ingeritur, non manducant, sed deglutiunt, non bibunt, sed libant. Cur ita? quia opinantur, manus suas non esse ad accipiendum sacras, aut metuant, ne dentibus atterant corpus Christi, quod se ore tenere credunt in ipsa essentia & ueritate per se considerata. Eiusmodi superstitiones ex Papatunatas, nos quotidie in populo alimus, cum docemus contra institutionem & uerum sensum uerborum Christi, corpus & sanguinem Christi in propria materia per se considerata obiecta esse oralis manductionis & bibitionis. Modestiam communicantiū laudo, omnia enim debent decenter, ordine & ad ædificationem fieri, tantummodo superstitionem reprehendo. Satis sit me hoc dixisse pro examinatione actionum coenæ Dominicæ, ut fideles quibus ueritas cordi est, possent uidere, tantum abesse, ut quidam hodie sint defensores uerborū & institutionis Christi, quod sint potius euersores, & præter clamore nihil ferè præstent, quod sit institutioni Domini conforme.

Progrederar nunc ad Tertium, quod institutio coenæ dominicæ habet, nempe ad fidem, quam de obiecto, hoc est, de cibo & potu Christiani debent custodire. De pane enim Dominus dixit, hoc est corpus meum, & de uino dixit, hic est sanguis

guis meus. Debemus ergo uerbis Domini fidem adhibere, & credere firmiter, panem hunc fractum, datum & manducatum, esse corpus Christi. Et uinum hoc quod datur & bibitur, esse sanguinem Christi. Sicut etiam Apostolus 1. Corinth. 10. docet, cum inquit, Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Omnes igitur Christiani credunt, sciunt ac confitentur, Panem coenæ esse corpus Christi, & uinum hoc esse sanguinem ipsius. Præterea in confessio est apud omnes Christianos. Panem non per se, absolu-
tè & simpliciter corpus Christi prædicari & esse, sed aliqua ratione aut secundum quid. Similiter & de uino in calice. Non igitur quæstio est, Utrum panis sit corpus Christi, aut utrum uinum sit sanguis Christi, sed quæstio est de ratione & modo, quo uidelicet modo panis ille sit corpus Christi, & uinum illud sit sanguis Christi. Quidam igitur docent, panem & uinum esse corpus & sanguinem Domini, ratione transubstantiationis, quidam uero ratione contentionis, hoc est, quod panis corpus Christi, in se & sub se contineat, quidam uero ratione signuel sacramenti, à Christo ipso instituti. Accessisse enim ad panem uerbum Christi, & panem propter uerbum esse corpus Christi. Fit igitur, ut quidam corpus Christi actionibus coenæ obijciant in proprio suo subiecto, simpliciter, absolute & per se consi- derato: Quidam uero in Sacramento, simbolo uel signo. Nunc præstabo quod promisi supra, nempe, me uelle ex simplici in- teiectu uerborū coenæ Dominicæ demonstrare, corpus Chri- sti per se consideratum, in propria materia & substantia, non posse obiectum esse externarum actionū in coena Domini.

Ostendam enim eos, qui corpus Christi per se consideratum, actionibus cœnae obijciunt, negare panem esse corpus Christi, negare actiones cœnae esse externas, & prædicationem corporis Christi de pane dissoluere. Ordine igitur ad manus suam obiectiones aduersariorum, & singulas non nisi ex simplici intellectu uerborum Christi refutabo, & quod me monstraturum promisi præstabo.

1. Quare primum reijscio quod dicunt, se credere in cena Domini corpus & sanguinem Christi nobis dari, qua uero ratione & modo, id se diuinæ relinquere omnipotentiae. Equidem qui talia dicunt, omnino ab institutione recedunt, & panem corpus Christi esse negant. Nam institutio modum & rationem, qua Christus suum corpus in cœna exhibet ad manducandum, nobis ob oculos ponit, quem isti non possunt uidere, quia corpus Christi in proprio subiecto absolute considerant, & non in pane à Christo in corpus suum instituto, & ita ab institutione recedunt: circa aliud obiectum uersantes, & non circa panem. Si cogitarent panem esse subiectum, de quo corpus Christi sit prædicatum, statim uiderent modum non essentiale, sed Sacramentale. Sacramentū enim corporis Christi subiectum est, non ipsa essentia corporis Christi per se considerata, & essentia corporis Christi prædicatum est, & non subiectū, prædicatur autē de suo sacramento. Ergo sacramentali ratione & modo obijcit Christus suū corpus nostris actionibus in cœna sua, non est igitur, ut modū Deo cōmendes, uerte cogitationes tuas & oculos ad institutionem, & non tantū intelliges, sed etiam uidebis modum à Christo ipso institutum.

2. Reijscio deinde, quod docent duo externa & corporalia

lia obiecta, manducationis oralis, unum uidelicet panis, tanquam continentis, & alterum corporis Christi tanquam contenti. Est & hoc contra simplicem intellectum uerborum Christi. Si enim manducatio oris habet duo obiecta certe panis est panis, & corpus Christi est corpus Christi. Qui uero dicit, panem in coena Domini esse panem, & corpus Christi esse corpus Christi, is manifeste negat, panem hunc esse corpus Christi. Adhac, prædicationem corporis Christi de pane dissoluit. In hac enim propositione, Panis est corpus Christi: corpus Christi non est subiectum sed prædicatum, subiicitur autem non in proprio subiecto siue materia siue substantia; sed in aliunde accessito, nempe in pane: In quo igitur subiecto corpus Christi subiicitur, in eodem & actionibus coenæ obiicitur.

3. Reijcio deinde, duplices quas faciunt oris corporalis manducationes. Nam si manducatio panis est naturalis, & manducatio corporis Christi, quæ simul fit (ut aiunt) cum pane, est supernaturalis: sequitur irrefragabiliter, manducationem panis, non esse manducationem corporis Christi: sunt enim due diuersæ manducationes diuersorum obiectorum. Nunc si panis manducatio est naturalis, corporis uero Christi manducatio est supernaturalis. Nonne manifeste negatum est, Panem esse corpus Christi? Nonne talis sententia aperte pugnat cum Apostolo qui dicit, Panis quem frangimus est participatio corporis Christi? Nequaquam dicit Apostolus, participatione corporis Christi fieri unam & simul cum pane, & hoc supernaturali modo, sed ipsam panis participationem, uocat carnis Christi participationem. Quare non est alia participatio corporis Christi supernaturalis, & alia naturalis, uidelicet panis.

Ouos defensores simplicis intellectus uerborū Christi, quæ est conuenientia uestræ sententie cum uerbis Christi et Apostoli ε Pugnat præterea supernaturalis, quæ fingitur, corporis Christi manducatio cū definitione Sacramenti. Nam si corpus Christi in coena inuisibiliter, insensibiliter et supernaturaliter manducatur, talis manducatio non potest dici sacramentalis. Sacramentales enim actiones sunt uisibiles (iuxta definitionem Sacramenti) quia per uisibilia et sensibilia, res inuisibiles et spirituales representantur, obsignantur et in memoriam reuocantur, sicut supra quoq; dictum.

4. Reijcio porro segmentum Vbiuitatis corporis Christi, quia, (præterquam quod corpus Christi per se confidat, locale et circumscripibile est,) pugnat illa Vbiuitas cum simplici intellectu uerborum Christi, et negat panem esse corpus Christi. Ratio est. Quia, qui disputant de Vbiuitate corporis Christi, non loquuntur de pane tanquam subiecto, sed de ipso corpore Christi absolute considerato. Christus autem cum diceret, hoc est corpus meum, loquebatur de pane et non de suo corpore absolute considerato. Quomodo ergo illa disputatio Vbiuitatis cum uerbis Christi conuenit, cum uerba Christi et ista disputatio non loquuntur de uno eodemq; subiecto, sed de diuersis? Quomodo panis est corpus Christi, cum tu de Vbiuitate corporis Christi disputas, nisi uelis insano modo dicere, panem esse ubiq;. Qui enim disputat de Vbiuitate corporis Christi in coena ille disputat de Vbiuitate panis, quia panis in hac coena est corpus Christi. Sed dicis, non disputo de Vbiuitate panis, sed de Vbiuitate corporis Christi. Au dio, et in hoc tuum errorem deprehendo, cum enim panis in

Cœna sit corpus Christi, non tamen absolute et simpliciter, quorsum attinet disputare de Ubiquitate corporis Christi absolute considerati? Adhæc si id quod ubiq; est, non potest includi uel excludi, certe neq; corpus Christi, quod uos ubiq; dicitis esse, ore intra corpora nostra potest sumi. Non igitur Ubiquitas illa pro uobis est, sed contra uos.

5. Reijcio insuper transsubstantiationem, quia haec non tantummodo negat panem esse corpus Christi, sed insuper panem in nihilum redigit, et omnino ex cœna tollit. Nam cum panis ex institutione corpus Christi sit, necesse est ut maneat panis, nam si transsubstantiatio fieret, ut Papistæ uolunt, uerba Christi non amplius essent uera, et sublatu pane, sublatum esset corpus Christi. Si quis me interrogat, quid sit panis in cœna, respondeo, Esse corpus Christi. Ita nemo potest interrogare Papistam, quia non habent panem in cœna. Si non habent panem in cœna, certe panis nullo modo est corpus Christi. Igitur transsubstantiatio negat et euertit uerba et institutionem Christi.

6. Reijcio etiam consubstantiationem, sive opinionem eorum qui duo subiecta uniuert, et dicunt corpus Christi simul et una cum pane dari et manducari. Quia talis unio non est sacramentalis sed substantialis sive realis, et manifestè dissoluit coherentiam subiecti et prædicati, et negat panem esse corpus Christi. Concedo quidem, panē et corpus Christi unum quiddam esse, sed relatione et respectu, non consubstantiatione, uel compositione Synecdochica, Qui autem corpus Christi una cum pane subiicit, is ex prædicato diuersum constituit subiectum quod pani agglutinat, Ergo dissoluit coherentiam prædicati

dicati & subiecti, & negat panē esse corpus Christi. Qui enim dicit corpus Christi simul cum pane dari, is facit absolutum panem, & aliud subiectum corporis Christi in cœna habet de quo loquitur quam panem, panis absolute consideratus non est corpus Christi, neq; corpus Christi absolute consideratum panis est, qua igitur ratione dicis corpus Christi simul cum pane dari & manducari. Vides demum, te negare panem esse corpus Christi, cum utrumq; absolute consideres, & de utroq; absolute loquaris?

7. Reijcio insuper Synecdochicam prædicationem. Nam & hæc prorsus aliena est à uerbis Christi, Quia non ostendit quid subiectum sit, sed tantum quid alibi sit. Quemadmodum dolio ostenso, si quis dicit, hoc est uinum Rhenanum, non docet quid dolium sit, sed demonstrat uinū Rhenense adesse. Christus autem cum diceret, hoc est corpus meum, docuit quid panis ille esset, nihil dixit de corpore suo, quid illud esset, aut ubi illud latere uel annexum esse uellet. Ipsi uero, quibus Synecdochica prædicatio placet, cum dicunt corpus Christi est in pane, nō docent quid panis cœnæ sit, sed demonstrant ubi Christi corpus sit, nempe in pane. Præterea, si Christus ideo de pane dixit, hunc esse corpus suum, quod ipsum uoluerit pani Synecdochicè inesse, tunc aliud subiectum ostendit & aliud intellexit aut uoluit, ostendit panem, sed corpus suum in pane intellexit. Certum autem est, Christum panem tanquam subiectum ostendisse, & id ipsum etiā intellectus, cum diceret hoc est corpus meum. Et si est (ut sunt multi) qui dicit, Christū non proprie panem demonstrasse particula Hoc, sed corpus suum, is manifeste negat, panē esse corpus Christi. Nam id quod Christus

stus ostendit est corpus suum, si non ostendit panem, quomodo igitur panis est corpus Christi? Syncdochica igitur prædicatione uerbis Christi prorsus repugnat.

8. Reijcio quod quidam clamant, Christum corporaliter esse, ubi cum Coena ipsius celebratur. Iste clamor ad coenam nihil pertinet, quia à præsentia corporis Christi per se se considerati ad mandationem eiusdem corporis non ualeat consequentia. In prima coena Christus corpore suo uisibiliter aderat, at tamen non obijciebat illud in proprio suo subiecto per se se considerato actionibus coenæ, sed accipiebat panem, & dicebat, hoc est corpus meum. Quare panis in coena est corpus Christi, siue Christus per se se consideratus adsit uel absit, quamvis à ministerio suo non absit, sed adsit, quomodo uero adsit, non est huius loci. Præterea qui querunt de corpore Christi absolute considerato, Num illud sit in coena, manifestè negant, panem esse corpus Christi. Nam si ipsis panis esset corpus Christi, in ipsa actione coenæ Dominicæ, cur adeo sollicitè quererent de præsentia corporis Christi in coena? Respicerent certè ad panem, & non absq; pane corpus Christi considerarent.

9. Reijcio porro, quod quidam dicunt, propositionem hanc, Panis est corpus Christi, conuenire cum ista, Spiritus sanctus est columba. Principio nego hanc posteriorem propositionem inueniri in sacra scriptura. Sic enim Matthæus dicit. Et uidit Spiritum sanctum descendente sicut columbam. Et Lucas ait, Spiritus sanctus descendit corporali specie sicut columba. Si nunc uerba Coenæ uerbis Euangelistæ conformare uis, sic optet te dicere. Essentiam corporis Christi adesse in Coena corporali specie sicut panis, hoc certè nemo nisi Papista transubstantiator

stantiator affirmabit. Deinde nullus orthodoxus dicet Spiritum sanctum esse, id est, existere columbā, siue essentialiter columbam esse, sicuti quidam in uerbis Domini (est) pro existit exponunt, & dicunt panem essentialiter corpus Christi esse. Ad hæc nemo ex corporali illa specie columbæ, materialem & essentialiem columbam faciet, & illa cum essentia spiritus uniet, qua igitur fronte, ex hac apparitione, suam quam fingunt indissolubilem panis & corporis Christi unionem probabunt. Postremò, in illa apparitione, essentia spiritus sancti subiectum erat, de qua prædicabatur, illam descendisse corporali specie sicut columba. In negotio autē siue uerbis coenæ, corpus Christi non est absolute subiectum, sed prædicatum, quia de pane corpus Christi prædicatur. Igitur corpus Christi in coena aliud subiectum habet, non aliam formam, Panis uidelicet, in qua, iuxta Papistarum sententiam, appareat.

10. Reijcio quod quidam dicunt temeraria audacia, & crassa ignorantia : (Est) in uerbis Domini substantiè significare & pro existit esse exponendum. Nam copula (est, nunquā ἵπτεικώς) ponitur, nisi cum prædicatum est de essentia subiecti, aut cum (est) ponitur loco totius prædicati, alias (ut etiam hoc loco) nexus est, significans dici prædicatum de subiecto. Et uerissima regula est, quod copula (est) in omnibus propositionibus, non aliter debet aut potest exponi, quam iuxta modum & formam prædicationis, hoc est, si forma prædicandi est naturalis & essentialis, copula etiam essentialiter exponitur, si figurata, figuratè exponitur. Ergo si sacramentalis est prædicandi modus, copula etiam debet sacramentaliter exponi. Cum igitur corpus Christi per se consideratum, non sit de

de subiecto panis, neq; copula (est) sit posita loco prædicati: Et cum ipsa prædicatio sit Sacramentalis, quomodo ergo ὑπαρχικῶς copula accipitur? Agite uero, si namus copulā (est,) nexus esse, & ostendere prædicatum de subiecto dici: et po=stea explicemus sine omni tergiuersatione formam prædicant=di in uerbis Domini, sicut ueteres, ut Augustinus & alij fe=cerunt.

11. Reijcio, quod quidam in hunc modum arguantur. Christus cum diceret, hoc est corpus meum, locutus est non de corpore figurato uel metonimico, sed de proprio suo corpo=re, hoc ita esse sequentia Christi uerba testantur, quod pro uo=bis tradetur. Christus autem nos redemit proprio suo corpo=re, & non aliquo figurato uel Metaphorico, Ergo idem corpus nobis etiam ad manducandum dedit. Similiter & de calice ob=ijciunt. Quod dicunt Christum locutū esse de suo proprio cor=porē, cum diceret hoc est corpus meum, manifestum est men=dacium, quo et se et suos auditores miserè seducunt. Christus enim ut uerba institutionis testantur, corpus suum uerum non præ=dicauit, de uero suo corpore absolute considerato, sed de pane ueri sui corporis Sacramento uel signo. Nam idem de eodem non dixit. Corpus Christi pro nobis traditum, prædicatum est, non subiectum, quare actionibus coenæ nequaquam in proprio et absolute considerato suo subiecto obijcitur, sed in sacramento signo uel symbolo. Eadem respondeo ad uerba de calice siue de uino, non enim proprium suum sanguinem prædicauit de pro=prio suo sanguine per se considerato, sed de uino ueri sui san=ginis sacramento uel symbolo.

Exhibit quidem nobis Dominus corpus & sanguinem
D suum,

sum, quo est passus et quem effudit: sed quero a te. Num ea exhibeat in proprijs suis subiectis et materijs per se se consideratis. Quod si affirmas, omnino ab institutione recedis, et ne gas panem esse corpus Christi, et uinum esse sanguinem Christi. Nam iuxta institutionem, exhibet nobis Christus corpus et sanguinem suum, in pane et uino, et non in proprijs suis subiectis siue materijs. Quia in hoc negotio panis et uinum corporis et Sanguinis Christi subiecta sunt, et ipsa per se non subiiciuntur.

12. Reijcio confusionem illorum qui nullū discriminē faciunt inter finem passionis Christi, et inter finem institutæ coenæ Dominicæ. Sanguis quidē Christi effusus est in remissionem nostrorum peccatorum, hunc finem fide nobis applicamus, non orali manducazione. Et obserua sicut exhibitio fit per dantem, ita applicatio fit per accipientem. Distribuitur quidē finis passionis Christi, per uerbum et sacramenta uerbo addita, sed applicamus illum nobis fide. Non igitur ore comedimus et bibimus corpus et sanguinem Christi in remissione peccatorum, sed in commemorationem mortis Domini. Finis passionis effusionisq; sanguinis Christi, est peccatorum nostrorum remissio. Finis uero oralis et sacramentalis manducazione et bibitionis est cōmemoratio passionis et mortis Domini. Et sicut diuersæ actiones sunt, passio Christi in cruce, et manducatio corporis Christi sacramentalis in coena. Ita etiam sunt diuersi fines.

13. Reijcio quod docent quidam, coenam Domini esse Testamentum, quia Christus dixerit, Hoc poculum nouum Testamentum in sanguine meo. Nam oratio haec, non de tota actione coenæ, sed de poculo siue potius de uino in poculo est prædicta, et non habent aliam sententiā ab hac. Hic est sanguis noui

Testa-

Testamenti. Quare cum sanguine Christi uero, nouum testamentum, id est foedus, sit confirmatum, fit, ut id quod confirmat confirmatae rei nomen habeat. Ita sanguis Christi nomen habet Testamenti siue foederis, quia nouum hoc foedus confirmauit. Et testamentum hoc loco non significat extremā morientis uoluntatem, sed pactū siue foedus. Nouum enim testamentū idem est ac si dicas nouū foedus, uidelicet id quod consistit in remissione nostrorū peccatorum, sancitum sanguine Christi. Præterea, cū sanguis Christi per uinū repræsentetur in actione coenæ, fit, ut id q̄ representat, rei repræsentatæ nomen habeat. Ita uinū in calice nomē habet sanguinis Christi, quia illum repræsentat: & nomē habet noui Testamenti, quia hoc sanguine Christi (qui sacramentaliter est in calice) est sancitū & confirmatum. Vinum igitur à Domino uocatur, nouū testamentū in sanguine suo: aut sanguis eius noui testamenti, & non tota actio coenæ. Deinde magnum est discrimen, proprie loquendo, inter Testamentū & Sacramentum (quamvis interdū nomina confundantur) Sacra menta sunt externæ actiones in Ecclesia, obsignantes & in memoria reuocantes beneficia nobis à Deo præstita. Testamentū uero sunt foedera siue pacta, quæ Deus nobiscum pepigit. Quare sicut foedus & signum foederis differunt, ita & Testamentum à Sacramento differt. Coena Domini, sicut & Baptismus sacramentum est noui Testamenti. Nouum uero Testamentum, est pactum illud siue foedus siue promissio remissionis peccatorum, morte mediatoris sancitæ.

14. Reijcio adhæc & illā cauillationem. Si panis inquiunt, est corpus Christi sacramentaliter uel symbolicè. Ergo Christus habet Sacramentale & symbolicū corpus. Est stultissima

D ij cauila

cauillatio, sicut et huic simile est, quod dicitur. Si panis non est
essentiale corpus Christi, sequitur, panem pro nobis esse cruci-
fixum. Ad primum respondeo. Rerum symbola et signa, res
ipsas non mutant in symbola et signa, quia signatum propter
signum, in signum non conuertitur, aut ipsum sibi in unum sub-
iectum siue essentiam adiungit, ut signum principis siue sym-
bolum, non facit significatiuum uel symbolicum principem,
neq; princeps in signum suum conuertitur, aut ipsum in unita-
tem personae suae adsciscit. Ita Sacramentum corporis Christi,
ex uero Christi corpore, non facit sacramentale, neq; uerum
Christi corpus in Sacramentum uel symbolum conuertitur, aut
ipsum in unitatem personae suae adsciscit. Nam signa, symbola
et sacramenta, extra res ipsas quas repræsentant, sunt et
perpetuo manent: habent tamen inter se talem respectum, ut
res ipse de suis signis, sacramentis, symbolis et figuris predi-
centur, et que cum his perficiuntur actiones, iuxta Christi in-
stitutum, in illis facta esse dicantur. Ad secundum respondeo,
Christus in propria essentia sui corporis absolute considerati,
uoluit crucifigi, sed non sic uoluit manibus frangi, et ore come-
di. Quare in coena panem ordinavit, et in suum corpus san-
ctificauit, cum uero crucifigi uoluit, nihil aliud in corporis sui
locum substituit, quod illud repræsentaret, et ipsius uices gere-
ret, sed ipse in proprio suo corpore crucifixus est. Ergo sacra-
mentaliter uoluit in coena frangi et commedi. Realiter uero
in cruce crucifigi et mori.

15. Reijcio, quod quidam obstinati dicunt. Ego habeo
Verbum Dei (hoc est corpus meum) quare sic uolo credere,
et scio quod mihi etiam sic fiet. Quia uerba Christi sunt uera,
hic

hic enim est ipsissima ueritas. Quid, quæsto tibi prodest uerbum Dei non recte intellectum? Nam cum inhæreas literæ sive uerbis, sententiam autem uerborum ueram non habeas, nequaquam tibi siet sicut credis, quia te ipsum fallis. Fides quæ mendacium pro ueritate accipit, nunquam illud mendacium in ueritatem permutabit, sicut è contra, Veritas est ueritas, quamvis à toto mundo ut mendacium reiiciatur. Discas igitur prius ueram Verbi Dei sententiam, quam si non habes, fides tua est falsa, et falso ntitur fundamento, et nequaquam hoc tibi siet quod tu falso credis.

¶ 6. Reijcio et argumentum ab omnipotentiâ Dei sumptum. Deum esse omnipotentem concedo, Christum autem esse Deum et ideo omnipotenter firmiter credo. Quod uero Dominus quoad sacramentalem et oralem mandationem sive corporis miraculum per omnipotentiam suam fecerit aut hodie faciat, aperte nego. Quia miracula quæ fingunt, pugnant cum institutione, cum uerbis Domini, et cum definitione Sacramenti. Primo namque accipio, quod ab Euangelicis in hoc negotio est concessum, uidelicet, quod Christus nullum miraculum in pane fecerit pro sua omnipotentiâ, mutando scilicet, substantiam panis in substantiam sui corporis. Et quod Apostoli in ipsa mandationis actione etiam nullum miraculum fecerint, hoc etiam accipio. Hæc concessa non solum accipio, sed addo rationes. Prima est à ueritate operum Dei. Scio Christum posse creaturas transubstantiare, mutauit enim substantiam aquæ in substantiam uini, sed omnia opera Christi uerae Dei sunt uera, et quæcumque corporalia ille creat aut mutat, uere creata et mutata sunt, et sensibus nostris obiecta, Sed in

coena nihil horum est factum, Ergo, &c. Secunda est à uocatione nostra. Nam et si Christus uerè & transubstantialiter mutasset panem in corpus suum: non est tamen nostra uocatione miracula facere. Miracula enim ad tempus Ecclesiæ sunt concessa, & fiunt ab ijs qui immediatā uocationem habent, & non ab omni Christi ministro, multo minus Papæ sacrificulo. Sed obiciunt. Christus pro sua omnipotentia facilimè potest efficerre, ut nobis insensibiliter, supernaturaliter & miraculose corpus suum tradat ad manducandum. Respondeo. Obiectio hæc non unum errorum continet. Loquitur enim de omnipotentia Christi, non perspecta ipsius uoluntate: negat panem esse corpus Christi: euertit institutionem: & est contra generalē definitionem sacramentaliū ceremoniarum. Frustra enim dicitur, CHRISTVM hoc aut illud posse, nisi etiam illud uelle ipsum demonstres. Vult autem panem suum corpus esse, non uult corpus suum per se consideratum obiectum esse exteriarum actionum in coena, sicuti uerba institutionis manifestè conuincunt. Deinde, qui de corpore Christi in coena loquuntur, & non respicunt ad subiectum à Christo institutum, nempe ad panem, ille negat panem esse corpus Christi. Nam non in pane, sed in ipso corpore Christi per se & absolute considerato tanquam in subiecto, cogitationibus suis heret, quod est contra institutionem Christi. Quia iuxta institutionem, distributio panis est distributio corporis Christi, distributio autem panis qui est corpus Christi, naturalis est & possibilis. Quia igitur ratione contenditur, Christum corpus suum pro sua omnipotentia in Coena distribuere? Consequenter colligo, cum sine miraculo corpus Christi in coena distribuatur, quod etiam

etiam sine miraculo ab Apostolis & hodiernis communicantibus manducetur. Huc refer, quod supra dixi sacramentales ceremonias quæ à nobis celebrari debent esse sensibiles, naturales, & externas, iuxta generalem sacramentorum definitionem.

17. Reijcio quod quidam dicunt, uerba coenæ (hoc est corpus meum) non esse exponenda, quia sint tam plana & perspicua, ut expositione non egeant. Cur ergo tu ipse, qui dicas, uerba hæc non esse exponenda, expositionem tuam adhibes? Si enim panis simpliciter absq; ulla interpretatione corpus Christi est, quare dicas, panem coenæ, esse & manere panem, hoc autem quod cum uel in pane exhibetur, esse corpus Christi? Hæc est tua expositio, quam non tantum uerba Christi non exponis, sed omnino negas panem esse corpus Christi. Duo enim ponis subiecta, unum panem, & alterū corpus Christi. De pane prædicas quod sit panis, de corpore Christi uero quod sit corpus Christi, quomodo hæc conueniunt cum institutione? Institutione unum subiectum habet quoad cibum, nempe panem, de quo Christus prædicauit, ipsum esse corpus suum.

18. Reijcio adhæc blasphemiam illorum qui dicunt, si ego falsus sum, Christus meipsum fefellit. Cur enim non est simplicius locutus? Respondeat tibi blasphematori sapientia Syrach cap. 15. Non dixeris, per Deum abest (scilicet sapientia, de sapientia enim est sermo, contra peccatores & errantes) quæ enim odit (scilicet Deus) tu ne feceris. Non dicas ille implanauit. Non enim necessarij sunt illi homines impij. Omne execrementum erroris odit Dominus, & non erit amabiliter mentibus eum.

19. Reijcio postremo, quod quidam ædito libello scripsit,

D iiiij oralem

oralem scilicet manducationem ipsius essentiæ corporis Christi magis consolari infirmos, ærumnis uarijs & mole peccati oppressos, quam spiritualem fidei. Nam præter id quod talis manducatio in rerum natura non existit, ceremoniae & extero operi tribuit, quæ illi tribui sine impietate & idolatria non possunt. Et quamvis Sacra menta confirmant nostram fidem: non tamen uerè & internè nos uniunt cum Christo, non applicant merita Christi, quamvis ea unà cum uerbo Dei exhibeant, sed sola fides hæc applicat in usu & extra usum Sacra mentorum, & aliud est exhibere, aliud exhibitum applicare, qui dat exhibet, qui accipit sibi applicat. Simus igitur cauti ne plus tribuamus ceremoniae, quam fidei. Omnia enim quæcumq; de unione naturali & corporali nostri cum Christo, aut de Christo habitante in nobis aut de remissione peccatorum & uita æterna dici possunt: aut de quocunq; quod afflictum consolari potest peccatorem, Omnia hæc, inquam, soli fidei sunt accepta ferenda, & non ceremoniae siue extero operi. Hoc est ingenium rationis humanae, quod semper fidei aduersetur, & non posset quieta esse, nisi habeat externum aliquod opus, & quidem quod nos facimus, in quo hæreat, fiduciam ponat, atq; inde consolationem accipiat, præsertim cum agnitione peccati angimur, & calamitatibus sumus oppressi. Quare bonus pastor ouiculas suas infirmas ad Christi sacrificium potius & fidem ducet & adhortabitur, quam ad opera ceremonialia, his enim non nisi ad suum finem utendum est. Et hactenus de Tertio, quod Christi institutio habet, nempe de fide circa panem & uinum in cœna Domini.

SEQVITVR nunc quartum, quod in institutione comprehensum

hensum esse supra dixi, Finis nimirum totius huius ceremoniae.
 Hic continetur in uerbis illis Christi ad discipulos, hoc facite in
 mei commemorationem. Et in sequentibus ab Apostolo addi-
 tis, Quotiescumq; manducabitis panem hunc, & calicem bibe-
 tis, morte Domini annunciatibitis donec ueniat. Habes hic pro-
 prium & specialem finem coenæ Dominicæ. Generales tamen
 fines omnium sacramentorum etiam huic accommodari posse,
 non nego. Si quis igitur hac coena utitur in commemorationem
 mortis Christi, legitimè ea utitur. Sed hic finis, à pseudodeser-
 toribus uerborum Domini reiicitur, exploditur, exibilatur,
 tanquam res non magni momenti, dicunt enim: nostri Schwer-
 meri (sic namq; uocant rectè de coena Domini sentientes) ni-
 hil aliud ex coena faciunt, quam memoriale, si tantum memo-
 riale est, quid opus fuit illam instituere. Nam in omnibus con-
 uicijs potuissemus mortem Domini in memoriam reuocare.
 Quid est contemnere & contumelia afflicere Domini coenam,
 si hoc non est? Coena Dominicæ certè instituta est in com-
 memorationem mortis Christi, uti uerba sonant: sed humana sa-
 pientia semper floccifecit hunc finem, & alios excogitauit &
 docuit, nunc ex ea fecit uiaticum pro illis qui ex hac uita dece-
 dunt: nunc missam, hoc est, sacrificium, nunc opus ad purgato-
 da crinalia sua & ad ostendendam innocentiam: nunc opus
 quod in peccatorum peragitur remissionem: nunc à magnis
 Dominis celebrata in confirmationem suorum foederum: &
 quis potest omnes abusus recensere? & quamvis innumeri sint,
 omnes tamen uno uerbo Christi refuto, qui dixit: Hoc facite
 in mei commemorationem. Opera Dei magna, digna sunt, in
 quorum commemorationem sacramenta, hoc est, externæ ce-

demoniae à Deo instituantur. Et quod opus Dei maius est redēptione generis humani? Rectè igitur habet singularem quandam & publicam ceremoniam à Christo ipso institutam, & hæc est cœna Dominicæ, quam celebramus in commemorationem mortis Christi, hac enim redempti sumus à peccato, morte & aeterna damnatione.

Hic rursus simplex intellectus uerborum Christi refusat sententiam illorum, qui corpus Christi absolute consideratum externis actionibus cœnæ obijciunt. Cum enim manducatio corporis Christi instituta sit, in memoriam Christi qui in corpore suo passus & mortuus est, (sicut nos erudit simplex intellectus horum uerborum, hoc facite in mei commemorationem,) nullo modo conuenit, ut id quod passum est, etiam institutum sit manducari in sui ipsius memoriam, idq; in propria sua materia per se considerata. Quod non conueniat, probo, quia per totam sacram Scripturam licet cernere, aliud esse ipsum memoriale, & aliud rem memorandam, sicut aliud est signum, & aliud res signata. In confesso autem est, panem cœnæ esse signum corporis Christi, corpus uero Christi rem esse signatam. Nunc ergo qui dicit, corpus Christi absolute consideratum, obiectum esse externalium actionum in cœna & manducari in memoriam sui ipsius, ille ex re signata sacramentum facit sui ipsius, & dicit rem signatam manducari in sui ipsius memoriam. Sed bene se res habet, Sicut enim signum memoriale à re memoranda, res diuersa siue dispartata esse debet, Ita etiam Christus in hac cœna accepit panem & adiecit suum uerbum, dicens, hoc est corpus meum, sic non res signata manducatur in sui ipsius memoriam, sed sa-

eramentum uel signum manducatur, in ueritatis siue rei si-
gnatae memoriam & panis qui Sacramentaliter est corpus
Christi manducatur in memoriam corporis Christi per se se-
& absolute traditi & acti in crucem.

Demonstrauit huc usq; ex generali definitione sacramen-
taliū ceremoniarum, ex ipsis uerbis Christi, hoc est corpus
meū, & ex simplici intellectu uerborum totius institutionis
cœnæ Dominicæ, quod corpus Iesu Christi obiectiatur actioni-
bus illis externis cœnæ Dominicæ, non in proprio suo subiecto,
materia siue substantia, per se se & absolute in ipsa Christi per-
sona considerata, sed in sacramento signo uel symbolo.

Nunc cum Apostolus post recitationem institutionis, ad
inceptam obiurgationem redeat, redibimus & nos illuc, donec
obiurgationis uerba ad finem usq; à nobis sint exposita atq;
explicata. Cum Corinthijs cœnam Dominicam celebrarent,
alius alium non expectabat, & commedebant bibeantq; sin-
guli proprium cibum & potum, non edebant de uno pane, ad-
hæc manducabant bibeantq; ad faciem usq; parum mortis
Christi memores. Hanc Corinthiorum actionem Apostolus in-
dignam uocat, quasi alienam ab institutione Christi. Primum
igitur illos ad institutionem reuocat. Deinde, quale sit eorum
peccatum ostendit, & quæ sequuta sit poena, quam propter
indignam hanc manducationem fuerant perpessi, significat.
Postremo, mandat Corinthijs, quid interim facere debeant,
usq; ad suum aduentum. Quoad primum, uidelicet ad ipsam
institutionem Dominicæ cœnæ, satis superq; hucusq; dictum
est. Pergamus ad secundum, & apostolū audiamus, dicentem
de culpa & peccato circa hanc cœnā, & de pane quæ Dominus

irrogauerat Corinthijs. De culpa dicit Apostolus. Itaq; qui-
 cunq; manduauerit panem hunc, uel biberit calicem Domini
 indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Habes hic cul-
 pam, nempe omnes qui non dijudicant corpus Domini, id est,
 omnes qui non discernunt inter hunc panem qui corpus Domi-
 ni est, & inter uulgarem cibum, sed sumit hunc cibum tan-
 quam uulgarem, ille iuditium sibi manducat, & est reus cor-
 poris Domini. Audi nunc iuditium, hoc est poenam. Ideo inter
 uos (inquit Apostolus) multi infirmi & imbecilles, & dor-
 miunt multi. Scio indignos uel impoenitentes à communione ef-
 se arcendos, sed Apostolum in hac sua obiurgatione hoc respe-
 xisse ex uerbis ipsius non potest conuinci. Non enī inquit, si
 quis indignus manducat, sed, si quis manduauerit indignè.
Quare aduerbium *āvæḡiōs* refero ad actionem manducandi,
 non ad personam manducantis. Et huius loci hæc est sententia:
Quicunq; id est, siue bonus siue malus, siue magna & fortis,
siue parua & imbecilla fide præditus, manducat indignè, id
est, qui panem hunc corpus Christi indignis modis absq; ulla
religione & reuerentia, & non in suum finem: sed aliter quam
decet hæc mysteria, tractat, hic fit reus corporis Domini, qui
in hunc panem, qui corpus Domini est offendit.

Quid igitur disputatur, Num impij etiam de corpore
Christi in cœna participant? Certè quicunq; accedit siue dignus
siue indignus sit, quantum ad suam personam, si modo dignè
manducat, hoe est, si institutio Christi rectè seruatur: parti-
cipat de corpore Domini, id est, de hoc pane qui corpus Do-
mini est. Ita sacramentalis participatio corporis Christi com-
muniis est omnibus, Realis uero & ea que fit in ueritate tan-

tum

tum fidelium est, quorum est propria. Differunt manducatio indignorum, & manducatio indigna, hic ad actionem, illic ad personam respicitur. Corinthij non omnes erant indigri, adulteri, scortatores, & alijs uitios contaminati, omnes tamen ab Apostolo dicuntur indigne manducasse & bibisse. Vnusquisq; enim & bonus & malus, suum proprium cibum habebat, & alius quidem esuriebat, alius autem ebrius erat. Sic tam malus quam bonus & digne & indigne potest manducare & bibere. Vterq; enim digne manducat & bibit, cum actiones cœne iuxta institutionem Christi decenter cum reverentia perficit, & panem hunc corpus Domini esse dijudicat. Indigne uero, si contra institutionem panem hunc indecenter & irreverentialiter tractat, ipsum non dijudicans, & à uulgari cibo non discernens.

Per iudicium hoc de quo Paulus dicit, intelligo tempora= lem poenam. Dicit enim, Ideo inter uos multi infirmi & imbe= cilles, & dormiunt multi. Et statim. Quod si nos ipsos dijudi= caremus, id est, de nobis sumeremus iudicium sive poenam, non utiq; dijudicaremus: dum iudicamur autem, id est, dum puni= mur, à Domino corripimur. Vides iudicium hoc, de quo A po= stolus, esse correptionem Domini. Si correptio: ergo non est eterna damnatio, ut quidam hunc locum exponunt (quia æter= na damnatio neminem corripit aut castigat: sed in æternum cruciat) corripimur autem à Domino, ut non cum mundo damnemur. Ecce, à Domino iudicamur, ut non damnemur. Vbi ergo sunt qui docent, Indignos & impios ore suo corpus Chri= sti absolute consideratum ad æternam damnationem mandu= care? Scio damnari omnes, qui non agunt poenitentiam, cum in hac uita à Deo puniuntur & corripiuntur: sed non statim
a cul-

à culpa ad æternam poenam progradientur Deus, sed pro sua misericordia interijcit crucem & calamitates, siue poenas temporales, per quas ad poenitentiam uocat, his spretis, sequitur tum demum æterna poena. Sic quidam ex hoc loco argumentantur. Nemo sons est alicuius rei, quam non tractauit, uel in quam non offendit, Nunc ergo, si impij non manducant corpus Christi, quomodo igitur fiunt fontes corporis Christi? Respondeo. Rem aliquam tractamus & in eam offendimus dupliciter, Absolute & Relatiue. Sic corpus siue caro Christi tractatur, id est, manducatur dupliciter, absolute & relatiue, si consideratur caro Christi atq; adeo totus Christus absolute, non aliter nisi fide manducatur, & qui sic manducat nunquam fit reus. Si uero consideratur relatiue, uidelicet si respicis ad panem coenæ huius, qui iuxta institutionem C H R I S T I corpus Christi est, tunc ore fit manducatio à bonis & à malis, & rei fiunt omnes, qui non dignè hunc panem, qui est corpus Christi, manducant. Ita quoq; in rem aliquam offendimus, ea uidelicet aut absolute considerata, aut relatiue. Qui Christum crucifgebant, peccabant in corpus Domini absolute consideratum, qui uero panem coenæ indignè manducabant, peccabant in corpus Domini relatiue siue sacramentaliter consideratum. Ita qui principi maledicit, & ipsius personam ledit, peccat in principem absolute consideratum, qui uero insignia eius luto confurcat, peccat in principem relatiue consideratum.

Sic Saulus offendit in Christum relatiue, cum membra ipsius, hoc est, fideles uinciret ac necando traderet. Ideo Christus de cœlo clamat. Saule quid M E persequeris?

Venio

Venio nunc ad tertium, nempe ad precepta Pauli, quæ super hac indigna mandatione Corinthijs dedit. Mandat, ut se probent siue dijudicent, ut alius alium expectet, ut esurientes domi manducent.

Probationem quam Paulus præcipit, sic intelligo. Apostolus cogebatur in indignam Corinthiorum mandationem inquirere, quod non fuisset necessarium, si ipsi semetipso explorassent, & abiecissent, si quid in actione cœnæ Dominicæ ab ipsis inuentum & dijudicatum fuisset, institutione Domini, & tanto mysterio indignum. Præcepit igitur Apostolus, ut homo seipsum probaret, hoc est, ut esset inquisitor suarum actionum, & cum deprehenderet se agere aliquid tanto sacramento minimè dignum, id ipse per se corrigeret, ne aliis cogeretur in ipsis indignam mandationem inquirere, aut ne Deus ob tale factum ad iram prouocaretur. Qui hanc probationem generaliter, de poenitentia intelligunt, falli mihi uidentur, quamvis poenitentia necessaria sit illis, qui ad hanc mensam uolunt accedere, & impoenitentes nequaquam sunt admittendi. Cetera duo quæ ab Apostolo Corinthijs sunt mandata, expositione non egent cum plana & perspicua sint.

EPILOGVS.

Nunc finem huic tractatui imponam, & spero, metans dem officio meo defunctum esse, q; enim ab initio proposui, pro uirili, diuina gratia aspirante & adiuuante tractauit & absolui. Intelligunt autem omnes fideles, quo in prætio hanc cœnam Domini habere, & quanta cum Religione ad mensam hanc accedere debeant. Ab Apostolo enim didicrunt, Deum punire grauiter

grauiter omnes istos, qui hunc panem indignè manducant, Non
 igitur accedamus ad hanc cœnam tanquam tractaturi uul-
 garem panem & uinum, sed fide intueamur in ipsa uerba
 institutoris Christi. Institutio enim & uocatio facit, ut sub ma-
 nibus & in ore nostro habeamus panem istum qui est corpus
 Christi, & uinum quod est sanguis Christi, & ita tempere-
 mus locutiones nostras, de hoc tanto mysterio, ut libenter fa-
 teamur, panem hunc esse corpus Christi, & hoc uinum esse
 sanguinem Christi. Nam & ueteres ita sunt locuti, ut dicerent,
 in corpore Christi ea facta esse, quæ in pane siebant, & re-
 cte quidem, cum hic panis corpus Christi sit. Quare cum pa-
 nis frangebatur, distribuebatur, manducabatur, forte in ter-
 ram cadebat, in os ingrediebatur, dentibus atterebatur, di-
 cebant: corpus CHRISTI frangi, manducari, in ter-
 ram cadere, in os ingredi & dentibus atteri, nam respiciebant
 ad id quod de pane erat prædicatum, & panem absolute non
 considerabant. Et e contra: cum patres dicerent de corpore
 Christi, illud in os nostrum in gredi, ex illo partes fieri, illud
 in terram cadere, & ipsum alere substantiam corporis nostri,
 respiciebant ad subiectum panem scilicet, qui hic corpus Chri-
 sti est. Non enim corpus Christi absolute & per se in pro-
 pria sua essentia considerabant, & actionibus istis externis
 obijciebant, neq; sentiebant ullam fractionem, distributionem
 & manducationem in ipsa corporis Christi essentia absolute
 considerata fieri, quia satis erant edocti, panem hunc, panem
 inquam, in his externis coenæ actionibus, corpus Christi esse,
 idq; ratione sacramentali. Et utebantur hoc pane, non alia re-
 uerenia ac religione, neq; aliter loquebantur de ipso, ac si
 ipsa

ipſiſimam Christi carnem ſub manib⁹ & dentibus haberent,
frangerent & comederent. Nam institutio Christi erat illis
ſufficiens, & illa erant contenti. Simus itaq; & nos contenti,
& prætemus Christo obedientiam, ut amur hoc pane non alia
religione mente & animo, quam si ipſiſimum corpus Christi
ſub noſtris manib⁹ & dentibus haberemus, ſufficiat etiam
nobis hæc diuina Christi ſapiencia, qua uſus eſt in hac institu-
tione, & placeant nobis que ipſi placuerunt. Non queramus
præter & contra institutionem, quomodo ipſum Christi cor-
pus per ſeſe conſideratum in proprio ſuo ſubiecto, materia &
ſubtantia ualeamus ſubijcere, ex ternis iſtis actionibus coenæ, à
nobis per agendis, ſed hic panis ſit nobis corpus Christi in ipſo
uſu, ſiue in ipſis actionibus. Non queramus aliud finem, no-
ſtrum uidelicet commodum ex hoc opere, ſed Christi laudem
& gloriam, & ſciamus coenam non eſſe opus à Christo insti-
tutum, ut qui hoc faciant, habeant inde remiſſionem peccato-
rum ſuorum (ut populus adhuc Papistice credit) ſed eſſe opus
ſiue ceremoniam, quam celebrare debemus Christi redempto-
ris noſtri cauſa, nempe in commemorationem mortis ſuæ.

Sciāt autem omnes fideles, me hac deſenſione ſacra-
mentalis manducaſionis & bibitionis corporis & ſanguinis
Christi nullo modo negare aut oppugnare ſpiritualē illam
manducaſionem que eſt fidei, que omnino in ipſo Coenæ uſu
ſimul fieri debet, de qua in principio dixi, ſed tantum me iſtos
oppugnare & confutare, qui eſſentias ſiue ſubtantias, ſiue
ſubiecta, ſiue materias corporis & ſanguinis Christi, per ſeſe
& absolute conſideratas, actionibus iſtis ex ternis coenæ Domini
uicæ obijcunt.


Sub finem omnes hos alloquor, quorum errorem in hoc

E scripto

scripto oppugnauit, siquidem boni viri, & amantes ueritatis
 nideri & haberis uultis, & publicis scriptis promittitis uos
 uelle cedere ueritati, pacem & tranquillitatem colere, si ex
 uerbis Christi & institutionem coene possetis alicuius erroris
 conuinci. Certè bonam de uobis spem concepi, si æquo animo
 nullius autoritate & præiudicio capti perpenderitis ea, ex
 quibus in hoc meo scripto uestrum in lucem produxi errorem:
 uos omnino propter Ecclesie pacem, uestram sententiam
 mutaturos, & cogitaturos diligenter, culpam turpatae con-
 cordiae & pacis in Ecclesia, ei parti incumbere, quæ falsam
 tuetur sententiam, ut nihil acrius nunc dicam. Eusebius narrat,
 fuisse inter Episcopos antè Diocletianā persecutionē magnas
 contentiones, qui cū mutuis inter se contentionebus inflammati
 essent, sese inuidē odio & contumelijs sint prosequuti, & unum-
 quemq; ambitionem suam in mortis Tyrannidis studiosè perse-
 cutum esse. Postea autem ex diuina & iusta uindicta, persecu-
 tionem sub Diocletiano crudelissimam illā irruisse. Quia nunc
 tempora sunt similia, & culpa est eadē, sine dubio & poena si-
 milis, nisi penitentiā egerimus, subsequetur. Omnipotens & coe-
 lestis Pater, Filius tuus dilectus dominus noster Iesus Christus,
 pro tota Ecclesia sua orauit, dicens: Pater sancte, serua eos in
 nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unū, sicut eternos. Nos nunc
 idem à te petimus, O misericors & dilectissimè Pater, serua nos
 in nomine tuo, te quæsumus, ut unum simus spiritu, fide & cha-
 ritate, & ut simus solliciti seruare unitatem spiritus in
 vinculo pacis. Per Dominū nostrum Iesum Chri-
 stum, qui tecum uiuat & regnat in unitate
 Spiritus S. Deus per omnia sœcu-
 la seculorum. AMEN.

PROPOSITIONES
BREVITER COMPLECTENTES
DOCTRINAM CATHOLICAM ET ORTHO-
DOXAM, de Incarnatione Verbi, Vnione persona-
li, Communicatione Idiomatum, de Corpore
Christi & eius præsentia in Cœna, Ascen-
sione Christi in cœlum, Sessione ipsius
ad Dextram Patris, & de condi-
tione corporum nostrorum
post resurrectionem.

* * *



I. PROPOSITIO.

FIdem de Incarnatione verbi, docet nos Euani-
gelista Iohannes cum inquit, Et VERBUM
CARO FACTUM EST.

2. Verbum, inquit, non Deus (quamquam
verbum hoc sit Deus, eodem Euangelista teste, qui
dicit: Et Deus erat Verbum) vocabulo Verbi, per-
sona exprimitur, quæ incarnata est, vox (Deus)
non ita expressisset personam Filij, quia commu-
nis est tribus personis diuinitatis,

3. Neq; sic dicit Euangelista: Christus caro
factus est, Nam vox illa, Christus, verbum incar-
natum significat, id est, totam personam, & non
diuinam naturam tantum.

4. Non dicit simpliciter, Verbum factū est,
Impia est Arrianorum sententia, qua Verbum fa-
ctum esse pertinaciter asseruerunt, sed dicit, Ver-
bum caro factum est, homo enim incepit esse non
verbum.

5. Præterea, Caro dicit Euangelista & non,
Homo, quamuis sit vna eademq; sententia, & Ca-
tholicè dicatur, Deus homo factus est, signifi-
cator autem & magna ratione voluit dicere, Caro,
quam homo. Primo enim per carnem, totum ge-
nus humanum intelligitur, & non singularis qui-
dam homo ex nobis non oriundus, quia caro Chri-
sti sumpta est generaliter de carne nostra, speciali-
ter vero de semine Abrahæ, Et Christus est fructus
virginei

virginei vteri, & non hospes. Deinde significatur per carnem, verbum videlicet assumisse carnis nostræ humilitatem & infirmitatem, dempto tamen peccato.

6. Adhæc dicit Euangelista, factū est, & non: Verbum suscepit carnem, quamuis & hoc orthodoxè dicatur. Nam amplius quiddam est, fieri carnem, quam assumere & cōiungere sibi carnem. Primo itaq; per vocabulum factum est, significatur unitas personæ. Sic namq; Verbū caro factum est, vt verbum & caro sint vna persona, hoc est vnum individuum, intelligens, incommunicabile, & non sustentatum ab alio. Proinde & Maria virgo, non hominis tantum mater est, sed Deipara recte & orthodoxè vocatur. Deinde significatur & hac voce, dualitas naturarum, id est, dicit enim Euangelista, Verbum caro factum est, & non dicit in carnem mutatum est. Quicquid enim mutatur, definit id esse, quod antea erat. Hæc persona, Christus videlicet, recte dicitur Deus, & recte dicitur homo. Iam si Verbum esset mutatum (quod impossibile est fieri) Christus non posset Deus dici: Aut si caro esset mutata, Christus non posset homo dici. Verbum igitur non est mutatum, sed naturam suam retinuit, vñā cum suis proprietatibus essentialibus, quibus ab humana natura discernitur, Nec assumpta caro naturam suam (vñā cum essentialibus suis) proprietatibus quibus à diuina natura

discernitur, amisit, sed Verbum, quod non erat
assumpsit: & quod erat non amisit. Postremo, per
vocabulum factum est, significatur neq; carnem
Christi ab æterno esse, vel ante verbi incarnationem
fuisse, sed initium sumpsisse, in ipso incarnationis
mirando opere, & in ipso virginis Mariæ v-
tero. Neq; hominis cuiusdam personam fuisse,
quam verbi persona assumpserit, quia personæ duc
in unam personā non coaluerunt, sed Verbum car-
nem sibi uniuersitatem personalem.

7. Neq; Verbum Dei in utero virginis sic in-
carnatum est, vt vel nudam carnem sine anima, vel
carnem & animam sine spiritu hominis suscep-
rit: sed Incarnatio hæc sic est facta, vt illa compre-
hendatur, corpus, anima & spiritus, quorum neu-
trum altero fuit prius aut posterius à verbo suscep-
tum, sed omnia tria simul & semel.

8. Vnde non adeò difficile est, quid sit unio
personalis definire. Hæc enim est, cum duæ natu-
ræ, diuina videlicet & humana in unam uniuntur
personam & individuum, saluis naturarum pro-
prietatibus. Ita tamen, vt qui est Deus, idem sit
& homo, & qui proprietates diuinæ naturæ habet,
sit idē ille qui humanæ naturæ proprietates habet,
Et qui diuina facit opera sit ille idē qui facit ope-
ra humana. Et vt propria diuinæ communicentur
illi ipsi homini, qui & Deus est. Et è contra.

9. Modum incarnationis & unionis persona-
lis,

lis, plane inuestigari non posse, sentitur Catholica fides. Hanc tamen Spiritus sancti virtute factam, ex verbo Dei constat. Lucæ capite primo.

10. Sedulo igitur cauendum ne naturas in unam personam vnitatis confundamus, aut proprietatibus suis spoliemus. Ergo excludenda hic est omnis communicatio proprietatum. Quicquid enim communicabile est, nullam statuere potest differentiam, Nam communicantia in eo ipso quod commune habent nihil differunt. Igitur duæ naturæ in Christo proprietatibus discernuntur. Et proprietates non distrahant personæ vnitatē. Unde Regulæ. 1. Proprietates naturarum de suis naturis in abstracto prædicatæ, faciunt discriminem naturarum, non separationem. 2. Quælibet natura seruat suas proprietates, alias fieret confusio naturarum. 3. Propria vnius naturæ nō impediunt, quo minus adsit in persona Christi, & altera natura.

11. Rursus modis omnibus cauendum est, ne propter naturarum proprietates asserendas, retinendasq; discerpamus vnitatem personæ. Admittenda igitur hic est communicatio proprietatum. Nam sicut per proprietates asseruntur naturæ duæ, ita per communicationem asseritur persona una. Et proprietates naturarum, in persona, ut in concreto consideratæ sunt communicabiles, & unam personam testantur: in naturis verò abstractè consideratæ non sunt communicabiles, vt maneat na-

turarum discriminem. Vnde Regula. **Communica-**
tiō idiomatum fit in persona, ut seruetur personæ
vñitas, vel idiomata vnius naturæ non tribuuntur
alteri in abstractio consideratæ, sed communican-
tur personæ.

12. Est autem communicatio idiomatum, non ipsa vñio personalis vel vñionis huius forma, sed est prædicatio, quæ fit propter vñionem personalem duarum naturarum, in qua proprietas essentialis, vel operatio vni naturæ conueniens, tribuitur personæ in concreto, & non in abstractio.

13. Talis communicatio quæ in persona consideratur vera est, verbo & reipsa, Verbalis & Realis est. Nam cum prædicatio siue propositio illa, in qua proprietas aliqua vnius naturæ, personæ in concreto communicatur, vera est, videlicet propter duarum naturarum personalem vñionem. Certè & rei veritas tali prædicationi subsit oportet.

14. Quæcunq; autē de Chāisti persona prædicantur, vtriplicis esse generis inueniuntur. Quia horum quædam sunt essentiales proprietates siue differentia naturarum, quibus ipsæ naturæ discernuntur, & non sunt opera siue actiones aut passiones. Et in huiusmodi propositionibus additur distinctio, secundam quam naturam, hoc quod dicitur verum sit. 2. Deinde quædam horum sunt naturales actiones, siue operationes naturarum,

ex quibus quædā peculiariter referuntur addiui-
nam naturam, quædam vero ad humanam. Et hīc
quoq; additur distinctio, secundum quam natu-
ram. 3. Postremo eorum quæ de Christo dicuntur
quædam sunt officiorum ipsius appellations.
Vnde Regula. Appellations officiorum tribuun-
tur personæ, non secundum alteram naturam tan-
tum, sed secundum vtramq;

15. Quia vero credimus quod Verbum caro
factum est, confitemur etiam de corpore Christi,
illud esse verum & non phantasticum corpus, lo-
cale & suis dimensionibus Mathematicis circum-
scriptum, sicuti nostra corpora sunt, Et nunc
quamvis clarificatum sit Domini corpus, tamen
veritatem corporis non deposuisse, sed essentia-
les proprietates, quibus essentia corporalis à spi-
rituali differt adhuc retinere, deposuisse autem
post resurrectionem humilitatem & infirmitates
tantum: sicut & nos in resurrectione deponemus
eas, & proprietates corporum essentiales serua-
bimus. Non enim una communis essentia erit an-
gelorum & hominum post hanc vitam, sed dispa-
ratæ essentiæ unâ cum suis proprietatibus essen-
tialibus manebunt.

16. Neq; metaphysicè loquendum est in hoc
negotio de essentijs hominum, vniuersaliter sine
accidentibus consideratis, vt Philosophi de es-
sentijs nugantur: sed individua debent intelligi,

quæ sensibus sunt obiecta, Omne enim quod subsistit siue est singulare est eò quod est.

17. Vbiuitatem igitur, cum sit proprietas essentialis diuinæ naturæ, ab humana natura siue à corpore Christi, Catholica & orthodoxa fides remouet, communicat autem eam personæ in cōcreto. Communicatio quo ad naturas, nulla est, vt seruetur discrimen naturarum: sed quoad personam, communicatio locum habet, vt seruetur personæ unitas, vt supra dictum.

18. De Deo creditur, quod sit vbiqz, Essentia, præsentia, & potentia. Essentia, quia Dei essentia est infinita, & veteres dixerunt, infinitatem formam esse Vbiuitatis essentialis. Ideo integra & tota omnia implet, non tamen sicut aér diffusa est, talis enim diffusio minor est in sua parte, quam in toto. Præsentia, qui in ipso viuimus, mouemur & sumus. Potentia, quia omnia quæcunq; vult in cœlo, terra & mari, liberimè facit, causis enim secundas non est alligatus.

19. Vbiqz esse cum de D E O dicitur, non significat in omni loco esse, sed potius in nullo loco esse, quia Deus in loco esse non potest, quamvis omnis locus ei adsit ad eum capiendum, vt Boetius inquit.

20. Hic esse cum de Deo dicitur, non intelligitur locus, Non enim hic esse dicitur Deus nisi replete, qui modus essentiæ diuinæ tantum conuenit.

uenit, & omnem locum excludit. De spiritibus
creatis dicimus, horum aliquem hic vel ibi esse,
videlicet definitiuè: de corporibus vero dicimus,
ea hîc esse, circumscriptiuè videlicet & localiter.
Hi modi faciunt discrimina, primum inter essen-
tiam Dei & creaturarum: illa cum increata & in-
finita sit, vbiq; debet esse: hæ vero cum essentias
habeant finitas, vbiq; esse nequaquā dici possunt:
alterum, inter ipsas essentias creatas, quarum a-
lia sunt spiritus, ideoq; dicuntur definitiuè in loco
esse, aliæ vero sunt corpora, quæ ad differentiam
spirituum circumscriptive in locis suis esse di-
cuntur.

21. De præsentia & externa mandatione
corporis Christi in Cœna, per se & absolutè in
ipsa persona & propria sua materia considerati,
sacræ literæ nihil docent, Ergo talia credere non
est catholicum.

22. Christum, hoc est, ipsam personam per
se consideratam, ministerio suo aedisse, Catholi-
ca fides confitetur, Quia ipse Christus promisit
nobis, se velle nobiscum vsq; ad consumationem
sæculi, & in medio esse, duorum aut trium in no-
mine suo congregatorum, Quomodo autem Chri-
stus nobis adsit, Catholici viri exposuerunt abun-
dè & piè.

23. De mandatione corporis Christi, & de
bibitione sanguinis eius in Cœna, hoc fides Ca-
tholica

tholica obseruat, quod ex sermonibus & institutione Christi didicit. Et spiritualem carnis Christi manducationem, à corporali & externa discernerit: sed non separat.

24. Spiritualis manducatio non est externa ceremonia vel actio in horam durans, sed est vera fides cuius objectum siue cibus est totus Christus, vna cum omnibus suis meritis & beneficijs: & haec manducatio dat vitam. Iohan. 6.

25. Corporalis manducatio & bibitio corporis & sanguinis Christi in cena, est externa & visibilis ceremonia, & fit ore, cuius obiectum est, non tota persona, sed corpus & sanguis Christi tantum. Et haec manducatio & bibitio, non fit in corpore & sanguine Christi, absolute & per se in ipsa persona Christi, & in propria sua materia siue subiecto considerati, sed in signis symbolis & Sacramentis, hoc est, in pane & vino iuxta institutionem, qui externa elementa, panem & vinum, verbo suo in corpus & sanguinem suum sanctificauit.

26. Cum autem panis sit corpus Christi, & vinum sit sanguis Christi, non tamen absolute, simplici & naturali praedicandi modo, sed sacramentali, sequitur, non esse in hoc negotio loquendum de corpore & sanguine Christi absolute & per se considerato, sed de subiectis illis, de quibus Christus est locutus, nempe de pane & vino, quiq[ue] hoc non

non obseruat, fallitur à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Et hæc coena Domini, non ut in remissionem peccatorum faciamus instituta est: sed potius in commemorationē mortis Christi, qua nobis remissio parta, quam nullo opere externo, sed tantum fide donata nobis applicamus.

27. De ascensione Christi in cœlum, Catholica fides credit ex verbo Dei, Corpus illud, quod corpori nostro consubstantiale est, desumptum ex Maria virgine & ex ea natum, quod pependit in cruce & ibi mortuum est, sepultum est & resurrexit, illud ipsum (inquam) ascendisse ad cœlos, sedere ad dexteram Dei Patris. Ascendisse motu locali, corpore & anima in cœlum, id est, supra firmamentum in sedem beatorum, & ibi nunc frui gaudio & beatitudine & vita æterna. Cœlum enim in hoc articulo fidei non intelligitur, de gratia Dei, siue de regno Christi spirituali, in quo qui sunt, etiam dum in his terris degunt, dicuntur in celo esse, hoc est in regno gratiæ: sed de ipso loco in quo beati in æternum commorabuntur, & æterna fruentur beatitudine. Sedere ad Dexteram Patris, id est, credimus, quod sit omnipotens, regnet, ac regat Ecclesiam, intercedat apud Patrem pro nobis, & vbiq; præsens sit, diuina virtute, & habeat omnem potestatem.

28. Catholica fides resurrectionem carnis credit

credit, quo vocabulo multo significantius exprimitur, id quod resurgere debet, quam corporis. Illud enim quod cecidit, resurget. Resurget autem idem corpus numero, mutabitur corpus quoad accidentia, non quoad substantiam, vel substantiales corporis proprietates. Veritas corporis, semper manebit, et si futurum sit spirituale, gloriosum, clarificatum, sicuti docent nos sacrae literæ, 1. Corinth. 15.

Philip. 3. 1. Thess. 4.

* *

*

¶



